

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Medicorum Silesiacorum Satyrae, Quae Varias Observationes, Casus, Experimenta, Tentamina Ex Omni Medicinae Ambitu Petita Exhibit ...

Specimen I

Wratislaviae: Lipsiae: Korn, 1736

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935585>


Band (Druck)

Freier



Zugang





Zinnin dreizehn Leptus.

Ma - 3605.

MEDICORVM
SILESIACORVM
SATYRAE,
QVÆ
VARIAS
OBSERVATIONES,
CASVS, EXPERIMENTA,
TENTAMINA
EX
OMNI MEDICINÆ AMBITV
PETITA
EXHIBENT
SPECIMEN I.
CVM FIGVRIS.

WRATISLAVIÆ ET LIPSIÆ,
IMPENSIS JOH. JACOBI KORNII.

1736.

MEDICORVM
SILESIACORVM
SATYRAE
EVG
OPINIONVM COMMENTA DELET DIES,
EXPERIENTIAM
ET
NATVRÆ JUDICIA
CONFIRMAT.





A. Q.

LECTVRIS SALVTEM ET OBSEQVIA.

J Am promissis nuper fa-
ctis (*) stamus, fidem-
que datam pro virili
solvere conamur, spe fre-
ti primum, LECTOR BE-
NE-

(*) Epistola Invitatoria publicata & in den
Schlesischen gelehrten Neugkeiten 1736.
Mens. Januar. inserta.

NEVOLE, Satyrarum
specimen TIBI non fore
ingratum, TEque tuo cal-
culo nos stimulaturum, ad
filum feliciter inchoatum
pari alacritate, & majori
dexteritate in posterum
continuandum. Præser-
tim, si Eruditi nostram in-
tentionem symbolis suis,
ut inceperunt, secundare
non dedignantur. Publi-
ce hic gratias agimus, eas
tamen, quæ tantum ad
plus dandum sunt invita-
tiones, HIS, quibus volu-
pe fuit, & suffragiis no-
straras pagellas probare, &
ob-

observationibus communi-
catis ditiores, splendi-
dioresque reddere, opta-
mus & precamur, ut cæte-
ri ejusmodi calcare &
exemplis excitati, schedis
fidi manu exaratis, pu-
blici utilitati consecratis,
facta imitentur. Nihil in
præsenti præterea de fine
usuque collectionis no-
stræ dictum ulterius ex-
pectes, ne verbum qui-
dem perdere hac de causa
nobis animus est, quum
nuper jam omne quod
dici queat in epistola no-
stra prolatum sit. Hoc
sal-

-BSM

)(2

saltim TE, LECTOR, for-
mam scilicet non mate-
riam Satyrarum concer-
nens, ignorare jam nolu-
mus, quod certum nobis
constitutum sit, recensi-
ta primo observatione,
Scholion quoddam, si ab
ipso communicati casus
Auctore factum non sit,
superaddere, & quædam
sua sponte inde fluentia
consectaria elicere. Hæc
ratione observationum
numquam alia quam la-
tina lingua recensenda-
rum scias. Deinde aliquot
pagellas consecravimus
Man-

Mantissæ, brevibus Dif-
fertatiunculis, alias ob exi-
lem foliorum numerum
Bibliopolam sumtus ex-
cudendi typis submini-
strantem vix invenienti-
bus dicatæ, TECumque
communicanti. Ejusmodi
scripta vero, eadem, qua
exarata nobis traduntur
lingua exhibere volumus.
Quod institutum nemini
ut persuasi sumus nauseam
creabit. Quum demum
peregrinas observationes
plane exulare jubeamus,
nullasque alias nisi a Sile-
siis Medicis aut aliis Eru-

ditis sive nativitate tales
sint, sive tantum habita-
tione provenientes infe-
rere velimus; Non male
aut ingratum TIBI, LE-
CTOR, factum putamus,
quod brevem singulo-
rum autorum, quædam
nobiscum communican-
tium, vitæ notitiam inter-
sperserimus, intentio no-
stra non alia fuit, quam me-
moriā horum virorum
gratæ posteritati in tem-
pore commendare, at-
que historiæ literariæ Si-
lesiacæ secundum faculta-
tum nostrarum modulum
ad-

adminicula subministrare.
Ad stilum postremo quod
attinet, hunc, precamur
ut æquibonique consulas,
probe scimus eundem
non adeo nitidum, ter-
sum, comtum esse, ut de-
ceat, nostrum enim in
præsenti non est verbo-
rum dignitati invenien-
dæ anxie insudare, aut
grammaticarum spineta,
ut flosculi inveniantur,
perquirere. Si itaque oc-
currant, fortassis limam
merentia, aut in rigidissi-
mas PRISCIANI regulas
impingentia, emendes si
pla-

placet, si non, experire criti-
cam tuam audaciam aut
mordendi paratos dentes;
Rideas, nobis perinde est,
nostram attentionem res
postulant, non dictio. Si &
hæc excusatio displiceat,
audi aliam palato forte
gratiorem, quippe quod
ab omnis eloquentiæ cul-
tioris parente TVLLIO
proficietur, & mutuata
est, *verbis offendi, inquiens-*
te, aut morbi, aut imbecilli-
tatis argumentum est. Va-
lete, nostrisque conatibus
porro favete. Wratislaviæ
x. Cal. Aug. M. DCC. XXXVI.

OBSER-

-slg



OBSERVATIO I.

*Anni preterlapsi Wratislavia demortuorum
Index.*

MEdici omnino ex ejusmodi indicibus suam possunt capere utilitatem, præfertim si non adeo siccii, ut ita dicam, & hic loci consuetum est, sed Berolinensium (*) ad instar exhibeantur. Interea tamen eos, prout singulis annis festo nativitatis Christi publicari solent, ob oculos ponemus. Mortui namque sunt a die 25. Decembris 1734, ad eundem diem ejusdem Mensis 1735. *Mille, septies centum, sexaginta quinque personæ*, & quidem

A

Men-

(*) Hi demortuorum Indices, non tantum singulis septimanis Berolini *In den Intelligenz-Blättgen* adparent, sed & insuper adcurate notatum est, quo morbi genere extinti sunt, magno diligentiorum medicorum commodo, qui scilicet tempestatis mutationes, & morborum diversas species inde repullulantes adcuationi submittere solent examini & considerationi.

OBSERVATIO I.

| Mense Decembr. | 27 | Mense Julio | 145 |
|----------------|-----|----------------------|-----|
| 1734. | | Augusto | 194 |
| Januario | 84 | Septembri | 170 |
| 1735. | | Octobri | 201 |
| Februario | 90 | Novembri | 213 |
| Martio | 127 | Decembri | 124 |
| Aprilii | 135 | usque scilicet vice- | |
| Majo | 140 | num quartum diem | |
| Junio | 115 | eiusdem. | |

In his autem fuerunt 234. viri, 143. uxores, 180. viduæ, 79. juvenes, 72. virgines, 47. pueri ante nativitatem denati, & 35. ejusmodi pueriæ, infantum autem ante decimum aetatis exspirantium numerus usque ad 972. adscendit, pueros videlicet 513, puellas 459. in se continens. Nati tantum e contrario sunt 673. masculi, & 611. femellæ, hoc est 1284. homines. Notare tamen velis, LECTOR, hunc excedentium vita catalogum eos solum exhibere, qui in Ecclesiarum Augustanæ Confessionis addictarum, & jurisdictioni civitatis parentium cæmiterii sepulti sunt. Si itaque simul publicaretur, in parochiis Catholicis intra & extra urbem fitis, omnino amplissimis, terræ mandatorum numerus, paulo ante exhibitum si non superasset, certe tamen æquasset.

Astrologi profecto, & hi, quibus mutationes in terra nostra contingentes, ex astrorum concursu, & signorum cœlestium fortuito, aut si mavis necessario positu, derivare volupe est, sese ad varias excusationes paratos teneant, ut divi-

divinationes suas in Fastorum Præctica, quam vocant, pro more additis, morbosque & aggritudines concernentes integras servent. & cum nostris demortuorum indicibus concilient. Arduus omnino labor erit, &, omni licet intenso nervo, se operam tamen oleumque perdidisse. ac maximo conatu maximas egisse nugas, in fine videbunt. Scribit enim ejusmodi Calendarium: *Januario mense mors magnas edet strages im Januar wird der Tod übel hausen.* Sed ecce! idem iste mensis est, quo omnium paucissimi cubitum iverunt. VARIOLAS Junio prædictis, licet eo tempore parum adhuc grassati essent. *Julio vero atque Augusto,* quum apud nos jam iste morbus notabiles fecerit progressus, ne verbulo quidem mentio ejusdem injecta est. *Septembri mense,* ultimo quidem loco nominatae, sed tantum ut videtur honoris aut spatii replendi causa. *Octoher & November* alto premunt Variolas silentio quamvis ea tempestate ad cinquuā pervenerunt, & vespillonibus opimos causarunt redditus. *Decembri* iterum in calendario adparent, apud nos vero maximam vehementiæ suæ jam amiserunt partem. Ex his facile clarum est, morbos epidemice furentes & præ reliquis anni præterlapsi VARIOLAS multa millia infantum hac urbe invadentes, & ultra mille vivorum consortio subtrahentes, non adeo alte quaerendas, scutandas, aut ex planetarum, tam erga se invicem, quam alias stellas fixas, positu deducendas esse, sed pro-

A 2

pinquitus

pinquiū longe atque dilucidius ab inconsueta,
varia & peculiari anni peracti tempestatis con-
stitutione, ac mutatione, posse peti, atque de-
rivari debere. Fuit nempe annus iste ultra
modum & morem *humidus* atque *frigidus*.
Omnes enim *Maji* frigidī & præprimis priori
parte admodum turbidi, atque pluviosi adhuc
recordabuntur, ut nemini mirum esse possit,
hoc mense satis notabilem hōminum multitu-
dinem periisse, quia præ cæteris MORBUS
ATTONITUS, ut & præcedentis *Aprilis* poste-
riori articulo, haut paucos ex improviso & in-
ter negotia, imo in publicis plateis invalidi, &
e medio sustulit. *Junius* deinde & *Julius* inter-
dum quidem cœlum monstrabant serenum, ita
tamen, ut si calidior quodammodo fieret aer,
fervor tam subitaneos fecerit progressus, qua-
les vix corpora subtili atque copioso sanguine
prædicta tolerare potuerunt. *Augustus* postea,
præsertim circa finem justo frigidior erat, quum
e contrario *September* subsequens ejusmodi gau-
deret diebus, quas interdum *de Julius* quidem
& *Augustus* in ipsis etiam canicularibus tam
amœnas, tamque calidas exhibuerunt, quare
circa finem ejusdem adhuc fulgura & tonitrua
observata sunt; ut inde non mirandum, quod
demortuorum numerus quodammodo diminu-
tus inveniatur. *Octobri* mense subitaneum &
fensibile exoriebatur frigus, totum fere men-
sem, ut & vicinum *Novembrem*, parum, si po-
sterioris ultimas dies excipias, a vehementia
remit-

remittens. Et quamvis demum December inconstantissima & turbidissima uteretur tempestate, ut facile dies, quibus ante natalitiorum festum, cœlum serenum, aut solis splendor observari licuit, possint numerari; Non multum tamen ultra dimidiā hominum partem morte peremptam fuisse constat, quam antecedente mense.

SCHOLION.

Diēta hæc tenus omnino uberiorem exigere videntur tractationem, & nova suppetunt argumenta, quam exactam aeris constitutio, ac mutatio, & morborum decursus, statusque periculosus inter se servent proportionem. Quum vero hæc consueta fuerit COLLECTIONUM olim VRATISLAVIENSIMUM occupatio, ut igitur cuilibet prudentiori modo eas in auxilium vocare velit, non adeo difficilis esse possit labor, hæc inter se comparandi, nos in præsenti, ut tempori chartaeque paratur, quædam tantum exinde deducere laborabimus *consecaria*. Sit itaque *primum*: Aeris constitutio, anni temporibus consueto more non respondens, facile parit morbos epidemicos, & graves, & pertinaces, & periculosos. II. Hi morbi a vehementia sua, aut grassandi more non remittunt, nisi mutata & anni temporibus convenienter facta tempestatis constitutione. III. Apoplexias frequentes, quas hyemi alias magis proprias judicat HIPPOCRATES

A 3

III.

III. Apbor. 23. vere invadentes, turbidus atque frigidus aer accelerasse, non immerito videtur.
IV. Variolæ per maximam æstatis partem & totum autumnum furentes, inconsueto frigori, atque pluvioso tempori, maxime sunt adscribendæ. *V.* Redeunte calore, & liberius exinde procedente transpirationis negotio, variolæ quodammodo mitiores factæ sunt, ut Septembri adparet. *VI.* Aucto iterum & per satis longum tempus durante frigore his locis quodammodo inconsueto, variolas iterum necessario debuisse fieri crudeliores, October atque November testes sunt. *VII.* Turbidam, frigidam, pluviosam & inconstantem tempestatem, corpora non adeo lædere, si consueto sese exerat tempore, quam constanter turbidam, frigidam, atque pluviosam, inconsueto tempore, æstas & december testantur.

OBSERVATIO II.

*Variolarum Vratislavia 1735. grassantium,
brevis Historia.*

Tanta vi tantoque furore per æstatem & autumnum VARIOLÆ hic loci grassatæ sunt, ut vulgum non solum, sed & Medicos ipsos reddiderint attonitos, præsertim, quum haut exiguum, quos infestabant, ægrotorum numerum ex vivorum consortio migrare jusserint, & inter infantes demortuos supra indicatos (*Ob.I.*)

ultra

ultra duæ tertiaræ certe variolis decesserint. Phænomena vero a nobis observata, præcipua fuere sequentia: Plurimi infantum & adulorum, nec his enim pepercit morbi atrocias, utriusque sexus, ante invasionem ægritudinis per unum vel alterum, imo aliquot haut raro dies, de artuum laxitudine, & gravitate conquesti sunt. Quidam alacri antea & hilari mente prædicti, tristes & quasi speculabundi, licet in præsenti nullam alias sentirent corporis molestiam, evaserunt. Hæc excepit capitis dolor, & vertigo, oculorum rubor, & in quibusdam copiosum lymphæ lacrymarum ad instar ex iisdem profluvium, concomitante faciei rubidine, & levi intumescencia. Superveniebant postea dorsi dolores plus minus vehementiores, & lacinantes, complicata nausea, quam interdum vomitus aliquoties recurrens, & multam faburram mucosam, & saepius biliosam eliminans sequebatur. Tunc aderat febris, ut plurimum satis acuta, summaque inquietudo. Sitis non omnes æqualiter torsit. Hac fabula per biduum, triduum aut quatriiduum peracta, intercurrentibus aliquando convulsionibus, maculæ rubræ in corporis peripheria adparebant, quibus mitiora apud aliquos reddeabantur symptomata. Maculæ se se deinde in variolas elevabant, circa septimum diem in abscessum abire paratae. Evanescientibus sensim sensimque crudelioribus accidentibus, post decimum quartum diem, plurimi, si non plane lectum reliquerint, vix tamen nota-

A 4

bile

bile aliquod malum superstes senserunt. Hæc erat variolarum benigniorum facies, quo longius autem ab hoc schemate recesserunt, eo periculosis fuit ægrotantium status. Quidam videlicet statim ab initio, præsertim ubi nullæ sensibiores præcesserunt excretiones, tanta febris vehementia correpti sunt ut non solum phreneticorum ad instar delirassent, sed & nulla, ob nimiam sanguinis & humorum expansionem, futuratum variolarum adparuerint vestigia, quare ante tertium vel quartum diem, superveniente catarro suffocativo, (prægressis scilicet haut raro terribilissimis convulsionibus) aut apoplexia mortui sunt. Apud quosdam quidem natura expulsionem exanthematum verum autem, aut citius aut serius, imo interdum nimis præcipitanter molita est, sed aut copiosus aut parcus quam par fuit. Quum itaque postmodum internus deficeret impulsus, vel materia excretioni nondum satis fuisset apta, & præpara-ta maculæ ipsæ retrocedebant, aut in variolas demum abire tentantes, partim notabiles accep-erunt foveas, partim plane confluebant & ses-siles siebant, limitibus pallidis, lividisque adpa-rentibus. Loco puris probe cocti Ichorem sal-tem aquosum & acrem, imo interdum flavum & sanguinolentum fuderunt. Nec deerant pa-tientes quibus in his periculis constitutis super-veniebant non solum convulsiones, sed & va-riolæ plane nigræ, aut, quod perinde fuit, macu-læ cæruleæ quasi suggillatæ, brunnæ, & subni-

græ

græ, manifesta præsentis sphaceli, & paulo post imminentis mortis certissima signa. Hæc intra quartum & septimum, vel nonum & undecimum diem communiter suam exerebant ferociam. Horum ægrorum ita mortuorum intuitu, non adeo multi diarrhæis aut funesta tusi, quæ alias periculosis variolis non inconsueta sunt, obierunt. Nota deinde nobis prostant exempla, ab aliis medicis observata, ubi purpura maligna, pterechiæ & hujus generis alia variolis sese complicarunt. Immo conamina hæmorrhagica, quæ, licet alias hic loci non adeo frequentia, sese admiscerent, attamen, si statim ab initio, antequam scilicet febris ad extremum vehementiæ gradum perventa esset, sufficientem sanguinis quantitatem eliminaverint, vix aliter quam salutaria dici potuerunt, quibusdam interea letalia fuerunt, quando nempe post quartum demum aut quintum diem, imo interdum adhuc serius sese exerebant, vel per inconsueta & incongrua loca eruptionem minitabantur, aut actu profluebant. Quorsum pertinet exemplum nobis a celebri quodam practico relatum, in variolis loco humoris consueti aut puris, sincerum sanguinem adnotante. Quod vero ad varios oculorum periculosos affectus, aliaque talia morbi hujus epilogum constituentia attinet, nihil novi aut inconsuerti observatum est. Idem dicendum, de morbis post evanescentes variolas tandem ex eis repullulantibus, ubi tuffes ferinas & humidas labem pulmonibus facile & frequenter

A 5.

ad-

EIOE

adspergentes; Febres lentes hecticodeas, & consumtorias; Ulcera fistulosa, cacoethica, late serpentia, profunde penetrantia, rebellia, ossibus haut raro cariem inurentia; Aures materiam acrem, rodentem, fœtidam copiose fundentes; Inflammata colla, fauces; lingua tumida; Tonsillas ulceratas; Coryzas diuturnas, nares excoriante; Ptyalismum, salivam male olen tem, adverso sapore præditam, tenacem, eliminantem; Parotides tumentes in scirrhosam duritiem vel abscessus degenerantes; Articulos inflatos, dolentes; Tendinum ambulationi aut artuum motui dicatorum robur resolutum & post longum demum tempus & remediorum usum pristinas vires recuperans; & alios hujus farinæ pravos, molestos, contumaces periculi plenos effectus, ex metastasi materiae peccantis, vel propriæ malignitatis, vel medici, vel regiminiis causa aliorum derivatae, ortos diu adhuc, & ægros & medentes, vexantes notavimus, manifesto testimonio, quod variolæ semper fere soleant post se fætorem relinquere.

SCHOLION.

Ita brevi compendio, quæ nobis de variolarum constitutione innotuerunt, exhibuimus, prolixiores facile esse potuissimus, si ad singulæria exempla descendere, aut prolixam curæ adhibitæ reddere vellemus rationem. Hanc vero, quum methodo naturæ morbi convenienter & singulis ut speramus medicorum sufficienter nota

nota instituerimus, non est ut multis deprædicemus, quippe quod non alia fuerit, quam cui prudentiores sæculi nostri viri calculum addant, abstinendo præcipue a regimine nimis calido, & anxo, a multa remediorum etiam decantatissimorum præferim calidiorum, volatilium & sic diotorum expellentium, farragine, alto insuper supercilio spernendo, nescimus quæ arcana, superstitione interdum laudata, incongrua & opinione veterum præjudicata potius quam experientia circumspecta probata, miris præconiis elata specifica. Naturam potius variolarum efflorescentiam & expulsionem prudenter mollientem quantum in artis viribus est, sublevare conati sumus, partim ante febris accessum, partim in ipsa febre. Ante febrem, antequam scilicet futuri variolantes notabiles œconomiae vitalis turbas sentire inciperent, porrecto leniori laxante, immo de faburra primarum viarum certiores redditi, vomituriendi conatibus haud raro jam præsentibus, salibus digestivis admixta Radicis Ipecacuanhae portiuncula JVNCKERI Therap. General. Tab. II. pag. 22. III. 3. & hac in parte opem præstitimus. In ipsa febre, nitrata, salina media, temperantia, absorbentia, præcipitantia, cinabarina, intermixtis, ubi calor non nimis urgebat, diapnoicis fixis, & lenioribus solventibus, utramque fecerunt paginam. In naturis seginoribus, ubi variolæ ante septimum diem adparere noluerunt, reliquis remediis, optimo semper cum successu. & miro patientis paulo

paulo post subsequente levamine, momentum camphoræ admisimus. Reliqua tentamina nec sufficienti rationi, nec multipli experientiæ consentanea lubentes missa fecimus, contenti nostra felicissimis Practicis probata methodo, cui Deus etiam ita benedixit, ut suam clementiam publice deprædicare, nos maxime obstrictos profiteamur.

Si vero queratur, quare tam horrendas hoc anno Variolæ edidere strages? non adeo facilem esse responsonem fatemur. Negari quidem nequit, multum tribui posse epidemicæ æstatis & autumni constitutioni, miraque tempestatis varietati, ut supra jam ostensum est. Inter ea tamen alias etiam subfuisse causas non inficias imus. Credibile namque videtur, malignioris fuisse naturæ variolas præterlapsi anni, quam alias esse solent, quamvis, quod ad nos attinet, ut ingenuæ veritatem eloquamus, hanc malignitatem, de qua tam multos audivimus conquerentes, adeo obviam fuisse, aut tam frequentium funerum occasionem præbuisse, non observavimus. Aliam itaque rationem hujus letalitatis querendam esse, ipsa ratio suadet, qualis vero accusanda dubii quodammodo haeremus, periculose enim est omnia animi sensa publice effutire. Dominus D. TRALLES, inter juniores nostros medicos celebre jam nomen adeptus, doctum hac de re nuper evulgavit scriptum, in quo probare nititur: *Venectionem unicum fere esse praesidium, quo variolarum crudelitas*

litas compesci posset. () Jam ergo si hoc verum est, prout indubiis argumentis demonstravit laudatus Autor, sequitur, ut ista Phlebotomophobia, & vulgi, imo &, quod pessimum est, medicorum animos, tam arcte obsidens, tamque graviter obsecans, consequenter Venæsectionis neglectus, palmariam fuisse causam, cur variolæ tam horrendam ediderunt occidionem. Nos quidem libentissime calculum adjicere non dubitamus, certo persuasi, multos imo plurimos servari potuisse, fuisseque certo certius servatos, si in tempore tam adultis quam parvulis secta fuisse vena. Plethora enim & excedens sanguinis orgasmus, omnium fere malorum subsequentium fons & origo est, immo illa ipsa, quam nominavimus, humorū abundantia, medicis circum-*

(*) His pagellis jam exaratis, ad manus nostras pervenit Epistola quedam, germanico idiomate ad prælaudatum D. D. TRALLES, a D. D. GODOFREDO HENRICO BVRGHART amice conscripta, qua argumentum istud ulterius tractatur, & demonstratio- nibus theoreticis, novum per experimenta pondus ad- ditur. Dignum omnino judicavimus, ut publici ex- poneretur luci, quare autores suasoresque quidem fuimus Autori, ut eandem latine faceret, quo com- modius nostri collectioni inseri posset; Invenias illam ad calcem hujus speciminis, & miraberis forte, Lector, hos medicos, diversa licet principia foyentes, tam egre- gie circa hanc rem conspirare, & nihil utrumque inter- misse, quo adserti probari queat veritas, ita ut vix aliquid inveniri posse credamus, quod cum ratione in contrarium adferatur, aut quod pari facilitate di- luere non valerent.

cum spectis gravissimum facessit negotium, eosque impedit quo minus finem intentum adsequi, hoc est pristinæ sanitati restituere valeant ægrotantem. Nec fortassis multum a vero nos aberraturos speramus, si credimus, quod haut paucos, ut olim cæsarem quendam, perdiditer & Medicorum & remediorum multitudo, quorsum etiam trahimus imprudens regimen, tam proprio, quam medici consilio institutum, quo ipso ardente Sirio, patientes in hypocaustis calefactis torrebant, aut sudore diffluere sinebant, ut pharmaca volatilia, & expellentia, myrrhata, succinata, Pulverem Marchionum, Sal volatile, Cornu cervi, & quæ sunt hujus farinæ alia nunc taceamus, quæ partim adstantes nasutulæ suaserunt vetulæ, partim ipsi medici diligenter exhibuerunt, & quidem satis interdum incongrue & intempestive, haut raro jam primo die, & ea ipsa hora, qua patiens vix conqueri inciperet, admodum inscii aut incuriosi eorum, quæ tam graviter pronunciavit magnus noster HIPPOCRATES, præcipiens, non esse movenda, nisi quæ sunt mobilia, multo minus tentandum, cruda & nondum cocta expellere. Conf. Seſt. I. Apb. 20, 21, 22, 24.

Ex hac usque dictis quædam licitum erit eruere conseſtaria. 1.) Variolas vere malignas non adeo frequentes esse, ut quidam putant, vel ex eo patet, quod plurimi demortuorum non tam cum symptomatibus malignis febribus alias familiaribus, sed potius Apoplexia, suffocatione

&

& sphacelo, longe facilius ex aliis causis quam malignitate deducendis, diem suum obierunt.
II.) Plus mortui sunt, ubi in cura potius remedium excessu, quam defectu peccatum est.
III.) Plurium mors non incongrue neglectæ venæctioni, aut faburræ primas vias gravantis intermissa tempestiva expulsioni adscribitur.
IV.) Variæ & anni temporum minime familiari tempestati, maxima vis ratione furoris variolarum adscribenda esse videtur. V.) Variolas sibi, naturæque autocratiæ, præmissis scilicet quæcere esse judicantur universalibus, relietas, paucisque remediis adjutas, optime se se gerere, multiplici exemplo confirmatum est. VI.) Optimum remedium variolantium constituit, abstinentia a multis remediis, expectatio opportuni temporis, & conveniens ac moderatum regimen.

OBSERVATIO III.

Mictus Cruentus in Variolis letalis.

Puer decennis, agilis admodum & hilari semper mente præditus, alias moliminibus hemorrhagicis per nares adsuetus, decembri mense 1735. symptomatibus variolas futuras prænunciantibus corripitur, sine ulla tamen vel sinceri sanguinis, vel primarum viarum faburræ notabili excretione. Febris accedens statim extrema adepta vehementiam, calor quidem summus, fitis autem non adeo clamosa fuit. Die tertia & quarta, satis quidem placide & copiose maculæ

maculæ rubræ adparent, nullo tamen patientis levamine, omnibus potius in deterius ruentibus. Circa vesperam leviora accedunt deliria, a quibus tamen æger exercefactus statim ad se redibat. Quinta die variolæ quidem magis elevabantur, fastigiis tamen planioribus quam par fuit factis, coronaque circumdante pallidiori reddita, accedente insuper infimi ventris notabili dolore, ægrotum aliquoties ad ejulatus disponente. Die sexta magnam sanguinis portionem, non sine vehementi dolore cum urina reddidit, quod phænomenon etiam sexta & septima die aliquoties recruduit. Octava variolæ magis pallescunt, lympham tantum in se continentes vires plane prosternebantur, dolor tamen abdominis in totum fere ut & miętus cruentus remisit, urina tantum flammeum referente colorem. Adparent autem circa collum, & in femore sinistro maculæ cœruleæ, & nigræ petechiarum ad instar, variolis hinc & inde nigrescentibus, reliquis pallidis imo fere vesicularum aqua fervente excitatarum ad instar albicantibus. Fatices nigrescebant, & dentes dilute cœruleo colore tineti videbantur. Die nona prægressis levioribus convulsionibus placide exspiravit. Hactenus parentum relatio.

SCHOLION.

Quod de formalī miętus cruenti ratione nobis formavimus systema, in aliam quum referemus occasionem, nunc pauca saltum præsentem

tem casum concermentia addere constituimus.
Primo scias, velimus, benevole Lector, neminem
nostrum, sed alium plane medicum hujus ægroti
gesuisse curam. Parentes vero deinceps mor-
tuu jam puerò accersisse unum ex nostra con-
cionem, ut cadaver inspiceret suamque de funesti
eventus causa aperiret sententiam. Hic mani-
festis sphaceli signis visis, hunc esse quidem
mortis omnino causam pronuncians, se tamen
letalisi morbi genuinam indolem hoc modo in-
vestigare posse negat, si vero, ut aperiatur cada-
ver, permitterent, plura se fortassis detecturum
sperare, & istud quod vellent, nempe a Medico
adhibito sphacelus præcaveri potuisset, ad-
curationi facto scrutinio, dijudicaturum. Spes
quidem initio sectionis facultatem obtinendi
quædam adfulsit, quæ postera tamen die iterum
dilapsa est. Quum vero nostrum non sit, alio-
rum curandi encheirises, præscitam quarum
consciï non sumus, reprehendere, aut nos alieni
facti judices vendere, cetera silentio esse pre-
menda consultius ducimus. Hoc quidem no-
bis omnino non inconsultum fuisse videtur, si
molimum haemorrhagicarum attentior quo-
dammodo habita ratio, & statim morbi initio
per artificiale sanguinis ventilationem naturæ
in auxilium ventum fuisse. Notabilis omnino
est casus in mentem hac occasione nobis ve-
niens, quem olim apud O S W A L D V M
G R E M B S I V M in Arb. ruinos. Lib. II. Cap.
III. num. 55. legisse recordamur, de virgine qua-
dam

dam nobilissima, pubertati proxima, sanguinis
Effluxum per nares in itinere passa, ob frigus ta-
men hyemale citius quam par fuit suppressum,
supervenientibus dorsi doloribus molestissimis,
vomitu, ad parentibus deinde variolis, sed pau-
cis, quibus, facta deinceps ingentis lueta inter
morbum & naturam, succedebat sanguinis vo-
mitus, & Urina sanguinea, donec, variolis partim
purpurascensibus, partim disparentibus extin-
gueretur virgo floridissima ætate constituta. Me-
rito deinceps ad causabatur *internissa venæ sectio*.
Quum igitur inter istum Casum. & relatum a no-
bis, non exigua intercedat similitudo, fortassis &
apud hunc, neglecta phlebotomia multum ad
funestum eventum contribuit. Pessimum in-
terea & raro boni eventus symptomata, esse mi-
litum cruentum variolis sese complicantem pas-
sim præticorum scripta docent, ut SALMVTHI
Cent. II. Obser. LXX. pag. 92. HOECHSTE-
TERI Decad. I. Cas. VII. pag. m. 87. Cas. IX.
pag. 90. aliorumque observationibus & testimo-
niis patet. Ratio etiam inventu difficultis non
est, sive namque per renes, sive alias venarum
circa vesicæ collum serpentes sanguis exprima-
tur, perinde est, uterque videlicet locus facillime
stasi, sanguine ibidem sese cumulante, deinde
inflammationi, postea gangrenæ, & sphacelo de-
mum, quem necessario commercii inter mentem
corpusque analysis subsequitur, occasionem
præbere potest. Quare non incongrue ex hoc
Casu sequentia sponte sua fluunt consectaria:

I.) Quo

I.) Quo citius & per commoda loca erumpunt sanguinis profluvia in variolis, eo salubriora sunt, quo serius autem & per loca inconsueta sese effundunt eo periculosiora esse experientia testatur. II.) In pueris abundante sanguinis copia præditis, agilibus, hilaribus variolacea febri decumbentibus semper habendam esse ventilationum sanguinis rationem, ratio dictitat, quidquid etiam imperitum vulgus obgarriat, auct Medici famæ minutis nimium studioſi in contrarium adferant. III.) Variolis si superveniat Mictus Cruentus, malum, & ſæpissime letiferum.

OBSERVATIO IV.

Wratislavia constitutio Physica.

Wratislavia fere Silesia, sive longitudo, sive latitudo spectetur, umbilicus est locumque ad Viadri, quo Olavii aquas absorbet, ripam citeriorem occupat, & amplissimæ circum circa extensæ planitiei centrum constituit. Fundus, cui inædificata, licet totus non sit paludosus, humidior tamen præ cæteris provinciæ plagiis reperitur. Soli fertilitas vix in omni regione parem agnoscit, quare etiam annonæ copia admodum gaudet, Pomorumque deinde, & fructuum reliquorum arboreorum, nec non olerum proveni tam ubertate, quam sapore delicato, celebri, cunctis sese commendat, præfertim, quum & propter campi pinguedinem, cuius nigredo teret testis est, & caliditatem, auræque clementiam

vegetabilia citius ibi, quam alibi floreant, & maturentur. Aquarum quidem penuria non laborat, hoc tamen fatendum, scaturientem seu fontanam rariorem quodammodo esse, ac, si etiam hinc & inde obcurrat, non tam limpida, claram aut puri saporis, prout alibi, exceptis paucis fontibus, inveniri. Aer haut raro crassior existit, & non adeo frequenter vaporibus obscuris vacuus deprehenditur, ut aliunde venientium testimonio constat, adserentium: Wratislaviam rarissime fine peplo conspici, & auram ibidem vigentem ordinario fœtere. Ventis interea ex omni plaga irruentibus, maximo suo commodo, exposita est, quamvis occidentales sunt communiores Aestate vero Meridionales, fulgurum materiam ut plurimum secum adserentes, saepius flare solent. Hyems, excepto eo casu quando Boreas continuo dominatur, nec adeo longa, nec adeo dura ut circa Sudetos montes. Ver pubescens amœnum, adultior quodammodo factum saepius sat calidum, ita ut arbores hic jam florent, quum montanis in locis vix gemmas emittere inceperint. (*) Aestas igitur

(*) Curiosum, differentiam caloris ob oculos dilucide ponens, nosmet ipsi olim vidimus spectaculum iter directe versus Sudetes circa Martii initium facientes. Urbem egressi pluvia copiosa tepida humectabamus, ad quartum vix lapidem perueniri pluviae guttis, flocculos nivales intermixtos observabamus, Radice Sudetorum deinde tacta, nivem copiosissime ex nubibus delabentem experti sumus.

igitur satis calet, ita ut ad talem fervorem interdum perveniat, qualem multa incolarum corpora, non aliter nisi admodum moleste ferunt. Autumnus sua non caret amoenitate, neque tam citato præterlabitur, sed saepius adhuc November permittit hortorum quibusdam deliciis frui. Ad incolarum corpora quod attinet, ea ut plurimum *eucaena*, plethorica, florida, laxioris & spongiosi habitus esse deprehenduntur, mentemque junctam habent hilarem, & artibus, quibus applicatur ediscendis, non ineptam, uno verbo temperies humorum Sanguineo-Cholerica & Cholerico-Sanguinea, omnium maxime obvia venit, licet non negandum, strictioris & siccicarnis aliarumque complexionum homines inventi plures, ratione tamen præditorum eximia corpulentia, inter quos præ cæteris pistores, laniones & cerevisiarii, eorumque uxores eminent, numero non admodum grandi. Nec istud prætermittendum, quod a quibusdam observatum est, sequiorem scilicet sexum in genere ad voluptatem, magnificentiam, otium, mollietatem, profusionem, hic loci magis quam alibi, inclinare. Plures etiam colore cutis albescente præditæ sunt, quam nigro aut brunno, & synciput eorundem capillis plane nigris rarissime, frequentius autem fuscis, flavis & candidis tegitur, ut ita non desint, quibus pulchritudinis pretium statui ex merito non nequit. Vivendi ratio si medice consideratur ejusmodi est, ut variis morborum generibus, & vita brevitatí omnino

ansam dare facile possit. Omnium enim rerum ad commode lauteque vivendum adfluxus, & ubertas, incolis ut Baccho Cererique litent, nec, prout hic loci proverbium aliquod usu receptum est, proprio corpori novercas fese praestent, occasionem quotidie præbere solent. Præter feras enim bestias & animalium quadrupedantium, aviumque vescibilium adparatum largissimum, vicina Polonia ingentem boum numerum quotannis Silesiæ & præsertim Wratislaviæ Hungaria deinde & Austria, Vina diversi saporis, bonitatis & valoris subministrant. Ne vero his, quibus angustior quodammodo res domi, aliquid desit, quo minus Libero Patri grata sacrificia offerant, ecce vinum quod vocant adustum, & Cerevisia spirituosior, spissior, multumque nutriendis, ex tritico quidem communiter cocta, non excepta tamen hordeacea, & peregrinis in locis braxata ingenti copia ad manus vel potius ad pocula adest. Pane vix alio quam secalino & triticeo, probe salito, totaque provincia celeberrimo vescuntur. Pisces fluviatiles omnino delicati multique, quotidie Viadri, aliorum fluviorum & piscinarum circumiacentium inexhausto beneficio, & inter hos Cyprini, Lucii, Barbi, Siluri, Anguillæ, Astaci venduntur, quibus adhuc Salmones, Sturiones, Aselli fluviales, Mustelæ quamvis rariores, adnumerari mereantur ut Merlucios, Passeres, Haleces aliosque ab exteris ad nos adportatos, fumo induratos, Saleque conditos, imo Mytulos, Ostreas, Lam-
pretas.

pretasque taceam. Oleracea & arborum fructus per omnem anni cursum tanta copia & suavitate venalia conspicuntur, ut quilibet sibi persuaderi facile pateretur: Wratislaviam solis ferre vegetabilibus vivere, sed ingressus macellum aut forum piscarium, itidem putabit: Wratislaviam sola carne aut piscibus sese nutrire. Quid igitur mirum, hominibus ejusmodi deliciis ad pamphagiam & gulositatem invitatis obvenire multorum & difficilium morborum phalanges, qui enim adpetitum temperare nesciunt, sed eidem a primis unguiculis obedire consueti, insuperque otio mollique vitae generi dediti sunt, nil certe nisi brevem vitam, fragilem ac inconstantem valetudinem expectandam habent. Hæc etiam est ratio, quod incolarum plurimorum corpora tam cito lœdantur, preferendi scilicet aeris mutationes notabiles, & annis temperatibus incongruam constitutionem, fine maximis œconomiaæ vitalis turbis plane inepta. Vix igitur morbi Congestorii, serosi, maligni, febries præsertim exanthematici, Rheumatici, paralyticci aliter quam epidemice grassare, aut, nisi sublatis e vivorum consortio haut paucis remittere solent.

SCHOLION.

Non desunt Eruditi, qui ante nos Corporum Silesiacorum Habitum scriptis depictum tradidere, inter quos *Historiam Morborum Wratisl. grass.*
An. 1699. pag. 201. seq. ejusdemque *Apologiam contra D. D. GRAEBNERVM pag. 80.* HENE-

LIVM Silesiogr. Cap. VI. fere toto, in specie au-
tem §. VI. pag. 681. ejusque Celeberrimum
Scholiasten FIBIGERVM ad hæc loca, & die
Breslauischen Sammlungen 1718. Mens. April.
Class II. Artic. II. §. 2. pag. 930. seq. præcipue
laudamus Quum vero hæc Silesiam in gene-
re ut plurimum concernant, nostrarum partium
esse duximus Wratislaviam in specie attingere.
Neminem tamen credere velimus. quasi omnes
Urbis incolæ ad amissim huic mulstriculæ essent
aptandi. Multi dantur sciographiæ contrarii.
In Universum hæc volumus dicta. Nulla enim
reperitur regula exceptionis impatiens. A plu-
ribus sit denominatio, & consequenter integræ
concionis character, exceptis ubique virtuti se-
se devoventibus. Prout enim ingens frumenti
acervus ratione maximi granorum numeri, aut
bonorum aut malorum, dicitur sive probus sive
improbus; ita etiam Incolæ plurium tantum ra-
tione vocantur gulosi, molles, bibones, volu-
ptuosi. Immo non desideratur haut contemnen-
da copia ejusmodi mortalium, quos cum PLAV-
TI Milite Glorioso, aut Euclione, GRYPHII
Petro Squentzio, MOLIERI Misanthropo, Geor-
gio Dandino, Aegroto imaginario. Marito co-
acto, Impropto, Cive nobili, Prætiosis ridiculis,
& aliis hujus furfuris celebrioribus per orbem
personis comparare, piaculum non foret. Sed
ferenda sunt quæ mutare nequeunt. Apud Me-
dicos artem exercentes utilitate non caret post
corporis habitum, atque constitutionem, etiam
animi

animi habere notitiam & propensiones ejusdem cognitas. RAMAZZINVM artium considerationem Medicam non prætermisisse, ex incomparabili ejusdem *De Morbis artificum tractatu* iatatis constat. Quis ergo jure nos reprehendet vi- tiorum Medicam recensionem instituentes? Injuriosi quidem fortassis aliquibus videri posse- mus, si nostra cum ILMERI *Narrat. de Vratisl.* Wittenberg 1625. edit. apud CRVSIVM *Miscel. Siles.* Tom. II. pag. 55. recus dictis conferantur, Vra- tislaviam bonis moribus ornatos & in genere virtuosos incolas alere adserentis. Sed, aut Wratislavia intra quadraginta annorum spa- tium adeo mutata est, ut sibi similis non am- plius fuerit, quia JOH. ANDR. MAVERSBER- GER *Dissert. de Vratisl.* §. VI. Witteberg 1668. babet. in CRVSII *Miscell. L. c. pag. 88.* scribere non veretur: *Ii vero, quibus modica culina est, aliis quidem uiuntur cibis, sed tamen adeo LVXVRIOSE,* ut minime mirum aut novum videri debeat, si nonnulli comes patrimoniis posteris suis parum preter lugulum & querelas relinquant: aut ILMERVUM tantum egisse encomiasten, concedendum est, cui reli- quis panegyrice scribentibus familiare vitium etiam adhæsit, ut non ea quæ vera, sed tantum quæ laudabilia dixerit. Corollariis denique ex hac observatione eliciendis supersedere omni- no possumus, quum cuilibet non erit difficile ea- dem vel proletaria tantum diligentia adhibita eruere, modo aeris constitutionem, civiumque genus vivendi inter se comparare velit.

B. 5

OBSER.

OBSERVATIO V.

D. GODOFREDI HENRICI BURGHAR-
TI, (*) Practici Vratislaviensis,
Reichenbachii naturalis Descriptio.

§. I.

QUæ Observationum & Historiarum Medi-
carum sit utilitas, vel insimî etiam subsel-
lii

(*) Urbs REICHENBACH felicium ingeniorum pro-
le jam ab antiquis temporibus, ut nostræ gentis an-
nales testantur, non infecunda fuit, quibus etiam
hunc virum adnumerare non nefas judicamus. Na-
tus enim ibidem fuit Anno 1705. die 5. Julii, parente
Christophoro Timotheo, ex stirpe Burghartorum
olim in Bohemia regno inter nobiles numerata, tri-
cenalis vero belli occasione in Silesiam deinde veniente,
oriundo, ibidem Medicinæ Doctore, Circuli Phy-
sico & per aliquot triginta annorum spatiū celebri
practico adhuc in vivis existente. Noster privata
præceptorum institutione gavisus Vratislavensium
Gymnasio Elisabetanum Anno 1720. adiit, & per quin-
quennium ibidem commoratus, postea sese Fridlan-
diā Ducatus Suidnicensis oppidulum, Chemiæ edi-
scendæ causa contulit. Anno fere ibidem peracto,
iterum patrios repetit Lares, partim ut parentis in-
stitutione, ad altiora sese præparare, partim Chirur-
gicis per aliquod tempus operationibus apud virum
hujus artis satis pexitum operam navare potuerit. An-
no 1727. demum Viadrinas musas Francofurti am-
plexus, per tres annos Medicinæ se devovit, & duab-
us dissertationibus sub Celeber. GOELICKII mode-
ramine, que in ejusdem Institutionibus totam patho-
logiam efficiunt, habitis, demum 1730. Doctor. præ-
via sine Præside defensa Dissertatione Medico - Juridi-
ca

iii in hac arte Viris non ignotum est. Eo autem ni fallor sine scribantur, ut reliquis artem exercentibus usui esse debeant. Quum vero ingens sit locorum, climatumve differentia, & pro eorundem natura, teste CELSO *proem.* differant quoque genera Medicinæ, & aliud opus sit Romæ, aliud in Ægypto, aliud in Gallia; consequens est, omnium fere Observationum a diligentioribus practicis adnotatarum usum, si non totum, maximam tamen partem cadere, quando inter loca, ubi imitationi tradi debent, ac ubi prius experientia detectæ sunt, justa non instituatur comparatio. Hæc vero comparatio, quomodo institui possit non video, quum maxima Observatorum pars, Loci, ubi factum experimentum, naturalem constitutionem ipsis casibus

ca de Pubertatis termino, ad Pr. Institut. quib. mod tutel. finitur, creatus est. Captus autem academicorum laborum deliciis, adhuc per non mestre spatiū ibidem commorare e re sua esse duxit, tam erudientibus quibusdam commilitonibus, quam præcœs exercitio tempus terens. Patriam anno 1731. reversus Parentis lateri adhærens, per tres fere annos artem quam profitetur, exercuit, siveque dexteritatis aliquot mille testes habuit, donec fortunarum sedem 1734. in urbe nostra fixit, & præter varia Experienciam spicimina oculorum præcipue morborum curationes resipientia, præsente anno bina publicavit scripta, germanico idiomate exarata; alterum *Montis Sabothi Historiam naturalem exhibens*, alterum *Chemici argumenti*. Quid ad nostras Satyras contulit ipse Lector, non sine plausu, ut speramus, dijudicabit. COLLECTORES.

casibus præmittere, oblii sunt. Steriles nimium deprehenduntur communes Geographi, quam ut hac in re aliquid solatii ex eorundem scriptis haurire liceat. Ne vero idem in aliis reprehensum, nobis, casus quosdam olim obviam factos, interdum describentibus, objici queat, Loci, tentaminum sedis, naturalem Historiam stilo quamvis hebeti nec argumenti gravitati pari, ante omnia inseri curavimus.

§. II.

Occupat urbs REICHENBACH colliculi non in amoeni dorsum, ad ortum & austrum situm, Ducatusque Svidnicensis ubi Francosteinense territorium attingunt, limites, circa 51. gradum latitudinis borealis. Si tractum, oppidum ipsum cingentem adspicias, gratissimum oculo exhibebit spectaculum. Campi namque circum circa siti, prataque atque sylvae, nec non pagi intermixti, arcesque magnificentissime strætae, spacious hortum repræsentant, mira rerum varietate ridentem.

§. III.

Dimidio ab urbe lapide austrotenus, montes, qui caput inter nubila condunt, SUDETI, muro ad instar extenduntur, eorumque vertex Alpinorum cacuminum more, per omnem æstatem hinc & inde nive nunquam plane vacuus existit. Ortum versus & occasum in planicie notabilis termino, monticulorum collumque depressa juga partim sylvis tecta partim segete fœcunda surgunt, quæ versus septentrionem absor-

absorbet SABOTHUS vix duo milliaria distans,
celebris ille minime fallax tempestatis index vi-
cinis adcolis vel hoc nomine notus, charusque.

§. IV.

AER ut plurimum clarus atque purus raro va-
poribus aut nebulis, excepto subinde vere pa-
riter ac autumno, obscuratur.

§. V.

Interea tamen montes vicini durum excitant
FRIGUS, hyberno præsertim tempore, ita ut
nix & glacies cito quidem fiant, non vero tam
cito prætereant, immo & in ipsa æstate, fervente
licet cœlo, ardenteque firio, ex improviso
super montium apices haud raro flet ventus,
cui, mediis etiam in canicularibus interdum hy-
pocaustis calefactis obviam ire necessum est, to-
nitru præsertim, cui tempestas grandine stipata
jungitur, prægresso. Ipsa vero fulgura nec ra-
ra sunt, nec tonitru horrendo fragore caret, nec
ipsa hiems semper ab iis libera.

§. VI.

STIPULÆ ARDENTES, quas Pyrandrum
(den Feuermann) incolæ sua vocitant lingua,
omnibus notæ, autumno si cœlum serenitate &
obscuritate sufficienti favet, conspici solent, cam-
pis hinc & inde inerrantes.

§. VII.

SOLUM, quamvis plurimis in locis arena
flavescente, fabulo, limoque intermixtum ob-
servatur, pingue tamen satis est, & uberem gi-
gnendi messem aptum. Si deinceps temperies
aeris

aeris & constitutio vel paululum faveat, arborum proventus ubertate potius quam penuria decerpitur. Olera fere sola sunt, quæ nec tam mature, nec tam copiose, nec tam suavis & delicati saporis prout alibi provenire solent, propter durum & diutius durans frigus, segniorem exinde redditam terræ fecunditatem.

§. VIII.

RIVULI duo limpidissimi Klinckenbach & Peila vocati super lapides & glaream decurrentes partim aquæ puritate & salubritate, varia incolis præbent commoda, partim pisciculorum, quos delicatioribus adnumerant & Saxatiles Galbionesque nominant, copia, sapori ejusmodi cupediis adsueto grata fercula exhibent.

§. IX.

PALUDES vero aliaque stagnantes aut putredinis corruptelam experientes aquæ longe latæ que incognitæ. Numerosi FONTES divite sua & inexhausta vena, profunde intra telluris viscera scaturiente uberrimum undæ profluvium quotidianæ necessitati subministrant. Ipsa aqua licet externo aspectu clarissima adpareat, & limpidissima, non tamen adeo, ut oculis fessit, pura est, salinis enim moleculis aliquæ peregrinis atomis scatet, atque inficitur, ideoque nec ad coquendum, lavandum, tingendum &c. idonea habetur. Per experimenta hydrostaticæ instituta mihi compertum est,

quam

aquam Reichenbacensem fontanam ⁷⁵ graviorēm esse fluviatili prætercurrentium rivulorum.

§. X.

Ex eadem, cuius mentionem injecimus, aqua fontana coqui solet CEREV рІСІА, quam tamen neque inhabitantes cives neque aliunde venientes admodum laudant, raroque alicujus valoris esse ingenue fatentur. Vix enim ac ne vix quidem fermentationi obedire, fecesque nunquam deponere consueta, ideoque mox vapescit, & acescit, interea tamen in acetum usui aptum plane non degenerat. Pota viscera gravat, distendit, tarde permeat, & tardius adhuc redditur iterum.

§. XI.

Mirum itaque non est FRUMENTÆI SP. RITUS abusum tanti moris esse, quanti vix in alio Silesiæ inferioris loco, immo paryuli fasciis adhuc vinciti, ad hoc potulentorum genus adfuehunt. Nec VINO vel ex Austria vel Hungaria adportato parcitur.

§. XII.

Ad CORPORUM HABITUM quod attinet incolas nec invenusta, nec adspectu injucunda, robusta quidem, non vero admodum quadrata circumferre mentis domicilia, ipse testatur oculorum usus. Quæ si quodammodo tantum curantur, nec plane valetudinis conservatio negligitur, satis durabilia sunt, quamvis morbi epidemice grassantes aut pubescente aut seniente

scente anni tempore ordinario suam ludunt fabulam, vespillonem tamen rarissime ditantes.

§. XIII.

VICTUS maxime consuetus, præter Panem fecalinum, hordeaceum & triticeum, carnes, inter quas tamen ferarum rariores obcurrunt, poscit. Caro videlicet, ut proverbium hic notissimum sonat, optimum & vili maximo pretio emendum præbet obsonium. Non diffitendum olera hic loci ob rationes supra (§. VII.) allegatas carne cariora interdum vendi.

§. XIV.

INDOLIS ANIMI ratione populares meos nemo stupidos dicet. Vitium vero ad quod maxime inclinant, si voluptatem voces sive Bacchicam, sive Veneream cui obnoxius ab autoribus Silesiacis sequior quam maxime sexus judicatur, a scopo parum aberrabis. Facile irascuntur, facile placabiles, immo idem interdum poculum, quod rixæ dedit ansam, dat iterum amicitiæ. Rara profecto avis est melancholica temperies.

§. XV.

Otio quidem non ubique indulgeri solet, quippe quod res domi angustæ, calamitates, alienum & omnium malorum teterimum fames ipsum ut umbræ corpus sequuntur, quamvis ut mihi non absonum videtur, plurimi profestis diebus eo tantum fine diligenter laborant, ne aliquid desit, quod sabbatho, aliisque feriis, commessionibus impendere possunt.

§. XVI.

§. XVI.

THESSALUM igitur non inepte *Orat. num. 130. in Oper. HIPPOCRAT. edit. Lindenian. Tom. II. p. 945.* dixisse constat: Οὐ γὰρ πάντες τόποι τὰ δύτα Φέργης Βοηθήματα, non enim omnia loca eadem auxilia ferunt, ratione addita, eo quod non omnis ambiens nos aer similis sit. Quæ quum ita sese habeant, & insuper HIPPOCRATES de aqua, aere & locis huic argumento multum ponderis conciliet, nostrarum jam partium esse putamus, ex haec tenus prolatis quædam communicare axiomata, quorum vi alienas observations fecimus olim nostro usui commodas, nostræque imitationi idoneas.

§. XVII.

I. Altiora loca montibus vicina ut plurimum tenui puroque gaudent aere. II. Venti ex montibus flantes ordinario sunt vehementes & acuti. III. Frigus circa montes durior est & longius durans. IV. Insensibilis corporum transspiratio innumeris atque velocibus mutationibus exposita est apud montanorum accolas. V. Acuti & frigidi venti calente cœlo & rarefacto, subito existentes ordinarie morbos epidemicos pariunt. VI. Morbi epidemicci adcuratam, ad levitatem & gravitatem, sive tenuitatem & densitatem aeris, consequenter ejusdem pressionem, corporumque resistentiam, servant rationem. VII. Morbi epidemicce grassantes admodum quidem familiares sunt locis altioribus ventorumque irruptioni expositis, non tamen adeo

C pericu-

periculose, quam ubi contrarius obtinet fitus, s̄e viunt. VIII. Tonitru & Grando circa montes & consueta sunt & horrenda atque ordinario sensibile aeris frigus per aliquot s̄aþe dies durans post se relinquunt. IX. Stipulæ ardentæ magis in locis editioribus adparent quam ignes fatui & capræ saltantes, depressiora scilicet, uliginosa, pâlustria magis amantes. X. Rivali pluvia maximam partem oriundi, aquam vehunt fontanam molliorem. XI. Quo levior est aqua, eo potui aptior, & salubrior. XII. Asperiores, hoc est potentissimis salinis, aliisque permixtæ, vel duriores, sit venia verbo, aquæ œconomicis usibus vix inserviunt, & adhuc minus cerevisiæ coquendæ. XIII. Aquæ duræ fermentationi obsunt. XIV. Aquæ duræ sicut exitant, ut, quo plus sint potæ, plus fitiantur. XV. Aquæ dura tarde viscera permeant, & tardius excernuntur. XVI. Aquæ duræ in sensibilis texturæ subiectis flatus excitant & Colicam. XVII. Spiritus frumenti corpora quædam ad Apoplexias, Paralyses, Artuum tremores, Hydrodem, Hecticam, Dyspepsiam, Molimina hæmorrhoidalia raro tamen in actualem eruptionem venientia, &c. ratione scilicet humorum crasse & fibrarum toni, vivendique generis disponit. XVIII. Pueris spiritui frumentaceo adsuetis si febres acutæ & inflammatoriae superveniant, periculose & ut plurimum letale. XIX. In Montanis decrepita & centum interdum annorum senectus, non adeo rara. XX.

XX. Montana alunt plura corpora procera, vegeta, robusta, stricta, quam quadrata, copulenta, aut valetudinaria. XXI. Sequior sexus in genere serius his locis menstrua experitur. XXII. Phthysis hujus loci rarissimus morbus est.

SCHOLION.

Nobis certe Autor hujus Observationis nihil reliquit addendum, præter id, quod optemus aliorum locorum ejusmodi descriptiones etiam videre. Magni certe res esset momenti & utilitatis, si aliquando hoc modo Physicam Silesiæ Chorographiam texere possemus, speramus tamen fore ut alii exercitati viri exemplum imitantes naturalem singulorum locorum historiam nobiscum communicaturi fint. Quantum enim locorum cognitio exercitium artis adjuvet, præter argumenta adlata, duo celeberrimi sæculi nostri Medici peculiaribus dissertationibus demonstratum dederunt, MICHAEL ALBERTI scilicet & FRIDERICUS HOFFMANNUS Hallensis Academiæ fidera, prior dissertationem Anno 1731. habuit, *de morborum gradu differenti pro locorum diversitate*, posterior idem argumentum ejusmodi exercitatione sub limam iterum revocavit Anno 1734. *de medendi methodo varia pro climatum diversitate*. Digna est utraque attenta & repetita lectione. COLLECTORES.

OBSERVATIO VI.

D.GODOFREDI HENRICI BURGHARTI
Arenariae Reichenbacenses.

§. I.

ORyctographiæ Siles. præter SCHWENCKFELDUM in fossilium catalogo, præclara edidere specimina, HERMANNI nuper mortui *Maslographia* & VOLCKMANNI *Sileſia subterranea*, ut *Museum KUNDMANNIANUM*, & quod KOPISIUS olim Landeshutta curiosorum oculis exhibuit, in præsenti prætermittam. Spem etiam adfulsisse dicebatur, quod KORTUMIUS Bilicensium Medicus *Litbographiam Silesiacam* luci publicæ exponere voluisset, quod an factum sit hactenus mihi non constat.

§. II.

Subterraneorum, præsertim lapidum conchis petrefactis, ac aliis diluvii universalis testimoniis gravidorum copia, Silesiam ubique fere locorum scatere lippis quod dicitur & tonsoribus notum, & potius deesse collectores curiosos, quam rerum varietatem nemo inficias ibit, cuius rei, si expediret, præclara addere valerem specimina, ex Franconensi præprimis territorio, & SCHLAUSA pago ejusdem petita. Sed missa hæc faciam patriæ quippe curiositatibus intentus.

§. III.

Exspatiatus aliquando in ARENARIAS sequentia forte fortuna detexi Oryctographiæ nostræ

stræ amplificandæ non indigna; Et primo quidem ÆTITES varia magnitudinis & duritiei, colorem ad unum omnes fuscum referentes, intus cavos & interdum alio ejusdem generis lapillo, ut plurimum vero fabulo aut Ochra plus minus flavescente grayidos. Figura I. Tabulæ I. integrum, figura vero II. diffractum repræsentat. Ustulati ex brunno rufescens adquirerant colorem, hæmatiti admodum similem, ochra intus flava in perfecte sanguineum abiiente, manifesto testimonio eodem ferro esse ditissimos, & nihil aliud esse quam mineram martis frustulatum in arena dispersam, (Nieren-weiß liegender Eisenschuß.)

§. IV.

CONCHITES hujus loci nihil aliud sunt quam lapides pugni magnitudinem vel æquantes vel excedentes, coloris communiter ex gryseo flavescentis, diversæ duritiei, marmoreæ tamen ut plurimum non cedentes, polituram enim admittunt. Quidam ex meris peñinis aliisque parvis conchis conglutinati videntur, quidam hinc & inde tantum ejusmodi testacea in sinu suo fovent. Flamarum vim experti jucundum exhibent spectaculum, lapis enim antea flavescens, vel Cryseus in obscure rubrum vertitur colorem, peñines e contrario in albissimum, in dubio arguento hæc conchilia, non esse nescio cuius jocantis naturæ lusum, sed animalculorum casulas olim petreæ factas.

C 3

1) Con-

- 1) Conchites politus ex meris pectunculis constans. Tab. II. fig. I.
- 2) Conchites hujus generis non politus. Tab. II. fig. II.
- 3) Conchites externæ tantum habens pectinem Tab. III. fig. III. Fovea pectunculo antea domicilium præbens cortice splendoris argentei vestita est.
- 4) Peñten a matrice separatus, ejusmodi cortice tectus. Tab. II. fig. IV.

§. V.

Huc etiam pertinent TROCHITES ex meris trochis, difficile tamen propter matris duritatem separabilibus, coagmentatis. Trochi partim sunt coloris albi, matrice cinerea flavescente, partim semi-diaphani Bribornensium adamantium immaturorum ad instar. Trochites etiam igni commissi parum mutant colorem, excepto trochis calcem albissimum referentibus, faciliusque igitur ab ipsa matrice distingui aptis.

1) Trochitis externa facies Tab. I. fig. III.

2) Ejusdem interior constitutio. Tab. I. fig. IV.

§. VI.

TALCUM, nigrum picis ad instar, lapidi molliori friabili & ex grysea, flava & rufescente glarea quasi conglutinato inherens. Igni per aliquot temporis momenta commissum, intumescere Talcum & se a se invicem in subtillissimas lamellas dividere incipit, mutato haec tenus piceo colore in aureum. Figuram exhibit Tab. I. fig. V. Me olim puerum saepius ejusmodi

modi Talcum argentei coloris, & Glaciei Mariae ad instar pellucidum, Razen Silber hic loco vocatum invenisse, probe recordor, jam autem omni licet instituta inquisitione nullius particeps factus sum.

§. VII.

Lapis, quem eminentioribus lineolis quasi pictum, es siehet recht wie die damascirten Degen Klingen aus, & busonitem figura quodammodo referentem, exhibit Tab. II. fig. V. cuiusnam profapiæ sit adnumerandus, ignoro. Coloris est lutei, lineolæ vero albicantis, ex frustulis fructuorum minutioribus conglutinatus videtur. Idem mihi dicendum est, de alio quodam lapide, favis quodammodo simili, totus enim constare videtur ex vesiculis albicantibus, certo ordine dispositis, rubraque dura materia repletis. Nulli magis quam frustulo pulmonis conferendus, adeo ut etiam mensæ impositus pro lobo hujus visceris inflato, siccatoque a quibusdam primo intuitu habitus fuerit. Tab. I. fig. VI.

§. VIII.

Varios adhuc alias punctulis, stellulis, arbusculis notatos & forma sua casu existente varias figuræ quarundam rerum designantes aut ex lamellis interspersa ochra martiali flava, vel rubente conglutinatos, & exinde lignum tædæ (Kiehn) arborum cortices & ejusmodi corpora alia non male exprimentes lubens prætermitto.

C 4

§. IX.

§. IX.

Hæc sunt quæ speciminis loco Oryctographiam patriæ respicientia, in medium adferre volui, plura ac curiosorum oculis digniora non deesse loci me jubet credere constitutio, modo iterum se mihi repræsentaret diligentius inquirendi occasio, ista enim aliud quasi agendo, tantum forte fortuna inveni.

OBSERVATIO VII.

Ophthalmia Phlyctenibus stipata post Ambustum.

Puer novennis ratione ætatis suæ satis quadratus, surreptum pulverem pyrium ad moto carbone accedit, flamma vero faciem nimis propinquam, præsertim latus dextrum ejusdem tentans, haud parum adurit, neque oculo parcit: Supervenientem quidem inflammationem & reliqua ambusti symptomata Chirurgus in auxilium vocatus adhibitis remediis convenientibus feliciter sanat, oculum tamen vehementer dolentem rubentemque in melius mutare nescit, & nequit. Nobis in consilium demum adhibitis, quum adcurate in oculi statum inquiramus observavimus sanguinea vascula alias vix visibilia admodum turgescere, multosque ramulos super corneam ipsam spargere, quæ hinc & inde pariter ac albugo multis phlyctenibus haud raro cœcitatem causantibus, obsessa

fessa erat. Palpebræ non leviter inflamatæ, tumebant, & lachrymæ stillabant copiose & continuo, ita ut adfectus jam in ipsam fere Chemosin degenerare videretur. Quum autem hæc phænomena per aliquot septimanas jam durantia, consuetudinem affluxus, imo habitualem jam ophthalmiam minitarentur, malo internis vel externis remedii obviā nobis esse eundum judicavimus. Dedimus itaque anteorgastica, temperantia, resolventia leniora, interpositis laxantibus. Hæc licet aliquod levamen adferrent, in totum tamen inflammationem tollere, aut humorum ad oculum adfluxum aliossum derivare insufficientia deprehendebantur, quare adhuc cucurbitulis dextro brachio & post aurem aliquoties adhibitis, locisque profunde scarificatis multum sanguinis eduximus. Hac methodo omnia statim in melius versa sunt. Externe præter ea, quæ in genere ad inflammationes sedandas conducunt, leniora constringentia, partesque roborantia in usum vocavimus & Phlyctenibus liquore quodam egregiarum virium, saturninæ prosapiæ nobis familiari, occurrimus, ne latius serpere, aut profundas foveolas, quas statim cicatrices aut maculæ albæ visum maxime impedientes excipiunt corneaæ imprimere possint. His per aliquot septimanas diligenter continuatis, puer divina favente benedictione pristinæ sanitati restitutus est.

C 5

SCHO.

SCHOLION.

Chirurgus Ambusto curando adhibitus scientia sua jam omnem tentavit valorem, ut Phlyctenes in oculo nascentes ejusque inflammationem tolleret, sed frustra, imo eo jam ejus consilia erant perventa, ut, in cassum vesicato-riis adhibitis, setaceum & fonticulum proponeret. Parentes vero curæ tam diuturnæ & nihil profcientis pertæsi, auxiliis propositis parum fidentes nostram opem implorabant, admodum lati, quod ejusmodi medendi methodum ipsis satis crudelem visam statim ab initio audiirent improbatam. Nos profecto nullo modo perspicere potuimus, quid Setaceum aut fonticulus Seri alias copiosioris adfluxui interdum opitulantes in hoc subiecto efficere potuissent, ut taceamus horrorem, quem concepimus pro ejusmodi remediiis, quæ morbus sui generis dici merentur, & perpetua sua gestatione, variorum supervenientium symptomatum complicatione, & dolorum subinde excitacione, multas, immo interdum graviores molestias ægrotis, quam ipsi morbi quibus opponuntur creantibus; Puer admodum erat Plethoricus, & quamvis actuales narium hæmorrhagias raro vel nunquam passus esset, moliminibus tamen & congestionibus sanguinis versus caput erat adsuetus. Quum ergo ab externa causa natura quasi invitata ad hunc locum, sanguinis directionem eo continuaret, & ophthalmiam sanguineam excitaret, nemo non videt, aliam hic

hic locum invenire non potuisse curam, præter adhibitam, cuius acta etiam exitus probavit. Conf. JUNCKERI *Cons. Medicin. Theoret. Pract.* Tab. XXIV. pag. 204. seq. Miramur omnino RHODIUM *Cent. I. Obs. LXXIX. p. n. 45.* quum ophthalmiam cucurbitulis sanatam referat, hanc curandi methodum improbare, & vix imitandam dicere, certo testimonio magno hinc viro ejusmodi morborum historiam, hujusque adfectus naturam parum fuisse perspectam. Consulendi potius atque sequendi sunt recentiores Scriptores adcuratiorem ophthalmiæ historiam tradentes, inter quos præ cæteris commendamus ANTONIUM dictum MAITRE-JEAN, & CAROLUM de SAINT-YVES, in doctissimis de oculorum morbis ex Gallico nitide in Germanicum idioma translati opusculis. Ex hoc casu sequentia sponte sua fluunt consequaria. I.) Ab ambusto tanquam externa causa, copiosum humorum adfluxum ad unam alteramve partem minitante, facile oriri potest malum ab interna deinceps causa dependens. II.) Ophthalmia sanguinea vix alio curatur modo quam per sanguinis ventilationem. III.) Externa remedia Ophthalmiæ sanguineæ opposita parum proficiunt, nisi prius corpore per ventilationem sanguinis præparato. IV.) Phlyctenes ophthalmiæ supervenientes periculose. V.) Phlyctenes saturniniæ remediis præsertim leniter constringentibus, omnium optime obediunt. VI.) Phlyctenes facilime habituales fiunt, & in consuetu-

suetudinem degenerant. VII.) Phlyctenum cicatriculæ relictæ facile cœcitatem pariunt. VIII.) Externe remedia in plurimis oculorum morbis nocent potius quam profunt, sine internis. IX.) Refrigerantia remedia ophthalmiæ externe tantum & copiose opposita, periculosa stasi & subsequenti majori inflammationi totiusque oculi destructioni occasionem præbent, quare manum de tabula. X.) Tutius adhibentur repellentia & derivantia, quamvis non semper exoptato successu, quam repellentia.

OBSERVATIO VIII.

D. GODOFREDI HENRICI BURGHARTI

Lolii temulenti comestri Phænomena.

§. I.

MOrbum certe, si non ipsam mortem interdum in ollis inveniri, præter exemplum e sacris literis petitum, multa testantur alia, & inter vegetabilia quam plura dari venenata, sanitati nocentia, & in œconomia vitali graves excitantia turbas, quotidiana & haud raro satis lugubri notum est experientia. Quid hac in re nobis innotuit dabimus in sequentibus,

§. II.

In Tractu scilicet Lygeo situs est pagus nomine PETSGENDORFF materteræ meæ ANNÆ CATHARINÆ de BERGFELD parens, cuius

cujus agri anno proxime præterlapso admodum fertiles fuerunt zizaniæ quodam genere, a Botanicis *Lolium furiosum* aut *temulentum* vocato, & copiosissime inter hordeum proveniente, cuius usus esusque varia in corpore humano excitavit symptomata.

§. III.

Omnium vero maxime nocivum observatum est **LOLIVM**, ejusdemque farina, quando in pane, *Globulis* (*Klößeln*) pulte, aliisque cibis **CALIDE** adhibebatur. Saporis quidem non ingrati, nisi quod cibos coctos, præsertim pultem & globulos quodammodo redderet carulescentes. Frigide adsumtum, cibis scilicet vel pane non ultra tepidis, nullum fere notabile damnum intulit excepto casu, si copiose nimis ingestum esset.

§. IV.

Quos itaque pane vel reliquo cibo eoque imprimis calido sedare famem oportuit, eos statim una vel altera hora post pastum, ratione scilicet sensibilitatis personæ aut cibi copiæ, plus minus citius, insignis præcordiorum anxietas, cum omnium virium prostratione, artuumque tremore corripuit, facie rubore perfusa oculisque quasi vitreis factis. Hæc excepit statim incedendi, brachiaque movendi impotentia, artuum stupor, balbuties, & loquela totalis abolitio, extremonum frigor, omniumque externorum & internorum sensuum pariter ac rationis defecus, ita ut agonizantium vel mortuorum ad instar

star jacerent, & frigidissimos circa frontem & tempora erumpentes funderent sudores.

§. V.

In aliquibus Vomitus & alvini secessus copiosiores superveniebant, in aliquibus demum sudores largissimi. Singuli tamen hoc modo agrotantes viginti fere quatuor horas reconvalesceretia impendere necesse habuerunt. Hac autem distinctione, quod illi qui sudarunt citius & facilis liberarentur, praे vomiturientibus aut cacantibus.

§. VI.

Præteritis quamvis gravioribus symptomatibus, & hominibus iterum ad se redeuntibus, non omnis tamen simul mali perpepsi evanuit sensus, sed insignis artuum gravitas & languor, Capitis vehemens dolor pectorilis & lacinatorius, sensuumque internorum debilitas & stupor adhuc per aliquot dies restiterunt. Quum vero necessitas urgeat incolas hujus loci, quotidie ejusmodi pane loliaceo vesci, mirandum non est, plurimos luridi adparere coloris, ac de perpetua fere artuum lassitudine pectoris oppressione, febris lentis, viribus prostratis, membrorum rigiditate & contractura, uno verbo omni valetudine labefactata observari conquerentes.

§. VII.

Cerevisiam ex polenta loliacea coctam optimi quidem ac pergrati esse faporis & coloris omnes fatentur, sed simul admodum cito inebriare potatores & enarrata causare phænomena, licet non tam

tam diu durantia, sed intra duodecim fere horas iterum evanescantia, nec tam graviter patientes adfligentia. Hoc tamen distinctione, quod inebriati cerevisia, pallida facie sint conspicui, quum reliqui rubeant.

§. VIII.

Unicum mihi tantum innotuit exemplum senis cujusdam post repetitum hujus frumenti usum apoplexia demum mortui, imminuto jam scilicet naturæ robore, ad venenum hunc suprandum alias necessario.

§. IX.

Quod ad animalia adtinet, omnium minime suibus nocuit, qui impune lolio vesci, reliqua vero quadrupedia, Equi scilicet, Boves, lolio adfuesci, aut diuturnum ejus usum sine morborum inde propullulantium phalangibus aut ipsa morte ferre non potuerunt, vitulos ipsummet stramen veneni ad instar sustulit. Anseres granis Lolii cibati itidem ebrii quasi facti exorrectis in longum collis, parietes adscendere tentantes intra nycthemeron moriebantur.

§. X.

Hæc si diligentius considerantur, Lolium in inebriatum classem referendum esse nemo dubitat, & cum Datura, Opio aut aliis ejusmodi narcoticis eandem habere naturam, eosdem fere effectus, & idem causare damnum ex dictis patet.

§. XI.

Venenum istud in Lolio latens, non tam in humores corporisque reliqua fluenta, quam potius

tius nervos agere eorundemque tonum labefactare, admodum mihi videtur simile. Rem mihi ita concipio : Peracta prima concoctione chylus ille venenatus , & principiis narcoticis infectus sanguini commixtus & ejusdem peridromo in cerebrum propulsus , filamentis ibidem nerveis se se insinuans rationis usum ut ebrietates ex mero tollere , sensusque vel potius eorundem organa interna corrumpere incipit unde facultatum mentis quasi obnubilatio & debilitas, capitis gravitas, oculorum obfuscatio. Paucio post quum se deinceps nervorum latici profundius immiscuerit , ipsisque nervis stuporem & *ανεγνωστικού* impresserit , id est tonum eorundem labefactaverit , præcordiorum sequi anxiatem , virium prostrationem , artuumque treñorem, balbutiem , oculorum rigiditatem , linguæ usum deficientem , & quæ sunt reliqua , necesse est. Quum vero relaxatis nervis , fluidorum circulatio admodum tarde procedat , consequens est: Ut primo circa peripheriam corporis in exiguis cutaneis tubulis gressus quasi cohibeat sanguis , unde rubor faciei , postea vero crux lentior motus , nec tam cito nec tam copiose in extrema influat . sed potius quodammodo spissescat , unde extremorum frigus , donec successive per cutis poros miasma nocivum largo sero permixtum sub vaporis quasi specie item exhalet.

§. XII.

Cujusnam vero istud venenum sit prosapiaæ,
Salinæ

Salinæ scilicet an Sulphureæ? certo definire non audeo, quamvis sequior sententia mihi videtur probabilius, vel exinde, quod fermentatum istud principium leviora intulerit nec tam diu durantia symptomata. Ut nihil addam de notabili phænomeno, quod scilicet Calide usurpatum centies plus nocuerit quam frigide comedestum, priusquam scilicet evaporarent atomi illi narcotici. Nullum enim prostat exemplum, frigide deglutitum vel unicum excitasse descriptum gravius phænomenon. Posset quidem aliqua dici salis cuiusdam volatilis vis, sed ego porius exinde sulphuri calculum adderem, quod salia volatilia potius tonum nervorum augeant, quam destruant, nec insignis humorum aut sanguinis observetur orgasmus præcedens, & ebullitio, ut in his quos merum inebriat, priusquam suam incipit ludere fabulam.

§. XIII.

Ut autem propinquius noscamus nostram Zizaniam, en ejus descriptionem ex Lignicensis cuiusdam Medici GASPARIS scilicet SCHWENCKFELDI *Histor. Stirp. Sil. Lib. I.* pag. 125. petitam. *Lolium* inquit, *âiga DIO-SCORIDIS Zizanium, triticum temulentum, Dolls-kraut, Donkraut, Siles. Taubkorn, Dollkorn,* est *Hordei & Avenæ vatum, in quod pluviosa estate degenerant. Excalfacit, siccatur, attenuatur, resolvitur, abstergit, inebriat, strumas discutit &c.* *Lolium* non solum pani mixtum, sed multo magis Cerevisia additum & fermentatum tempore & temulento veterno Cere-

D

braria

brum opprimit & opacat, reliquaque membra torpida reddit: Capiti dolorem, oculis caliginem adfert; quia vaporosos humores in cerebrum defert. Recte monet Autor Infelix Lolium, ut cum Poeta loquar, esse Hordei aut Avenæ vitium, & aestate pluviosa, cuius conditionis maxime fuit anni 1735. aetas, copiose provenire, an vero secundem ejusdem mentem degenerata sit avena aut hordeum, vix mihi persuaderi patiar, sed potius sui generis plantam credo. Plura vide sis de Lolio apud TABERNEMONTANVM Lib. I. Sect. VI. Cap. XXII. pag. m. 675. MATTHIOLVM Commentar. ad DIOSCORID. Lib. II. Cap. XCIII. pag. m. 331. ZWINGERVM Theatr. Botan. Lib. II. Cap. II. pag. 200. DODONÆVM Histor. Stirp. Pempt. IV. Lib. III. Cap. I. pag. 538.

§. XIV.

Recentiores Botanici ad Gramina & præser-tim classem plantarum flore apetalo, JOHRE-NIVS Vademec. Botan. pag. m. 165. imperfecto stamineo, RVPPII Flor. Jenens. Class. XIV. pag. m. 288. referunt Lolium. Omnium optime au-tem ut nihil quod addi possit videam, nobis de-scripsit JOH. SCHEUCHZER in Agrograph. pag. 31. sequentibus. Refert enim nostrum de quo loquimur lolium inter Gramina Loliacia spi-cis partialibus in spicam longam dispositis, aristatis & quidem aristis rectis num. 1. Gramen Loliaceum seu LOLIVM DIOSCORIDIS C. B. Tb. 121. Gramen Loliaceum, spica longiore aristas habens C. B. Pin. 9. Lolium gramineum spicatum caput tentans J. B. II.

437.

437. Radix fibrosa, alba vel subfuscata; Culmi cun-
bitales, bicubitalis, & altiores, frumentacei, stricti, sur-
sum si digitii ducantur, asperi, praeceps versus spicam,
quod provenit a striis denticulis minutissimis per le-
tem observabilibus munitis, dorsum spectantibus.
Folia spithamalia, pedalia, etiam longiora, tres plus
minus lineas lata, glabra, striata in acutum mucro-
nem terminata, parte supina si deorsum stringantur,
aspera, itemque margine, quæ minutissimis etiam den-
ticulis armata conspicitur, prona seu inferiore, levia &
eorum vagina longa & striata, & prout culmus, ver-
sus superiora si digitii ducantur, aspera scula, ad in-
ternam foliorum basin, in membranalam breven-
tis, subfuscata terminata. Spica in summo uncias
otto longa, vel etiam pedalis, componitur e spicis par-
tialibus alternatim scapo denticulato, ea parte, quæ
spicas seu locustas respicit, excavato, & ad curvedi-
nem spicarum inflexo, arête applicatis, prodeuntia-
bus e sinu folioli, spicas partiales longitudine ad-
equantis, striati lineam fere lati & sepius etiam in
aristam desinentis. Ha spicae compontuntur ex follia
culis biglumibus, seu e duobus glumis constantibus,
quarum exterior in aristam abit, tres quatuorve li-
neas longam, asperam, seu subtilissimis denticulis, per-
tenientem observabilibus, donatam: Infra binas ha
glumas & floris stamina & semen reconduntur, bi-
etiam ita flectuntur folliculi, ut unus alterum, sinu
affabre excavato, mutuo excipiat, cui forma etiam
semen ipsum accommodatur, quæ circumstantia etiam
in prioribus observatur. Spica autem quævis, set
locusta, tot aristis donatur, quo nigrilis seu follia

culis constat. Aliquando ramosa est hac species, foliorum fasciculis, vel culmis ex insimis culmorum geniculis prodeuntibus. Crescit circa urbem nostram (Tiguri in Helvetia) locis sepius, ubi simus reliquaque aut horreorum aut stabulorum purgamenta reponantur, frequenter & inter fruges, speciatim avenam semine nigro. Cui descriptioni longe adcuratissimæ, addere adhuc volumus iconem ex autographo diligenter delineatam Tab. III. fig. I.

§. XV.

Inebriantem & malignam Lolii virtutem & veteribus jam fuisse cognitam ex luculentissimis THEOPHRASTI ERESII *Histor. Plant.* Lib. VIII. Cap. V. GALENI de *Aliment.* Facult. Lib. I. Cap. ult. & aliorum quos citat BODÆVS a STAPEL in *Commentar. ad ERESII Histor. Plantar.* Lib. VIII. Cap. VII. pag. 942. testimoniis, dilucide adparet.

§. XVI.

Notandum hinc est error FUCHSII *Histor. Stirp.* Cap. XLIV. pag. 128. qui PSEUDOMELANTHIMUM pro Lolio VETERUM habet, cuius tamen lapsus jam dudum a MATTHIOLO Loc. Supr. §. XIII. ciuit. solide explosus & refutatus est. Pseudomelanthium nobis dicitur Rathen, & sine noxa comeditur.

OBSER-

OBSERVATIO IX.

D. BENJAMIN EHRENFRIED NEUGEBAUERI, (*) Medici Wratislaviensis,
Dolores Rheumatici, exactos paroxismos formantes, Ptyalismo soluti.

F Emina viginti & quod excurrit annorum, statuta mediocrem excedentis, sed non adeo pinguis, temperamenti Sanguineo-Cholerici, magna sensibilitate praedita, Mensium fluxu satiis largo prægresso sese intempestive mense Aprili, aeri pluvioso, ventoso, frigido exposuit,

D 3

(*) Hunc Virum genuisse Wratislavia latatur, ubi lucem adspexit 1706. die 7. Augusti. Parente usus Ehrenfriedo, magni nominis olim mercatore, matre vero Susanna Rebecca Löwia, Streleni. Primis in patrio Elisabetano Gymnasio studiorum fundamentis a tenebris jam annis feliciter jaëtis, Bregam 1724. se contulit, & elegantiores ibidem literas prosequutus est, donec ad altiora aptus, Academiam Francofurtanam sub initium 1727. anni adiret, ibidemque cursu medico confeatto circa finem 1729. habita sub Celeber. GOELICKIO dissertatione: *De noxio corticis Peruviani usu in febribus, licet recto, Doctor renunciaretur.* Patrios deinceps repetit lares, & artem quam didicit, Wratislaviæ consecravit. Ex Priori cum Anna Rosina Kümmelia suavi, licet vix decimestri matrimonio, filium ex osculatur superstitem Carolum. Secundas deinceps nuptias post duorum & quod excurrit annorum viduitarem celebravit hoc anno cum Maria Elisabetha Spiermannia, quæ, ut feliciter ipsi, pariter ac praæeos usus cedant, est quod optamus. COLLECTORES.

suit, & ita transpirationis insensibilis negotium notabili modo turbat. Aliquot horas post, in femore sinistro magnos incipit sentire dolores lancinantes, quibus proprio consilio spiritu vi- ni obviam it, eosque etiam ita mitigat, ut cessa-re videantur. His halcyoniis vix per nycthi- meron durantibus, supervenient vehementis- simi & vix tollerabiles ejusmodi dolores in ab- domine colicæ ad instar hæmorrhoidali, com- plicatis motibus febrilibus satis notabilibus. Hanc scenam per septennium lusit, ita ut dolo- res isti recurrentes adcuratos paroxismos forma- rent, horis scilicet pomeridianis & magna noctis parte ægram vexantes, se demum satis largo sudore, quem ramen impatiens ægra, subinde turbavit, solventes. Malo illo obviam itum est remediis antiphasticis, resolventibus, interposi- tis subinde tonicis & pro re nata quia alvus stri- Etior & Chlysteres horrebantur, lenioribus laxan- tibus, qua methodo etiam post quatuordecim dies feliciter restituta, & corona curæ, adhibita vena sectione, imposita est. Cum vero con- siliis, quibus jubebatur, ut aere turbido fese ad- huc per aliquod tempus domi contineret, mo- rem gerere renueret, & iterum tempestate ad- modum pluviosa & frigida paulo ante festum pentecostes, se per integrum diem exponeret, in moibi recidivam diuturniorem & molestio- rem incidit, ea tamè differentia, ut partim do- lor in abdome, partim in brachio sinistro, scapulis, capite & nucha admodum fureret, febris- que

que paroxysmis sociata, fatis esset vehemens. Superior itaque methodus iterum per quatuordecim fere dies adhibebatur, sine tamen plenarium exoptato successu, dolores quidem pariter ac febris mitiores sunt facti, non tamen in totum cessabant, sed potius in nucha plane rigida facta, ægram continuo cruciabant, quare sacculi sicci ex herbis resolventibus nervinis cum camphora calide imponebantur, post quorum aliquoties repetitum usum, Ptyalismus copiosus exortus multum levaminis patienti adulit. Quæ sputi per aliquid dies durans excretio omnium dolorum & rigiditatis nuchæ plenariam cessationem, id est pristinam sanitatem causavit. Patiens demum expertis iterum largioribus mensibus vires amissas paulatim recolligit.

SCHOLION.

Eo ipso tempore fine scilicet Maji, quo nobis præsens casus benigne communicatus est, virginem quadragesimum quintum annum jam agentem, probe adhuc menstruatam, simili rheumate, similibus causis exorto, & itidem spiritu vini inconsulte adpresso, curavimus, cuius morbi solutio eodem modo, scilicet per ptyalismum peracta est. Uterque casus attenta consideratione dignus nobis videtur. Namque magna Aprilis pars, & totus fere subsequens Majus frigore interdum fatis sensibili & continua fere pluvia humectabantur, consequenter non tantum in his personis, verum etiam multis aliis,

D 4

nego-

negotii transpirationis turbati auctores existerunt, quare aliter fieri non potuit, quin in subjectis tenerioris & sensibilioris texturæ, multo que & abundante sanguine præditis, varias seriatim spissescens congestiones & consequenter spasticas fibrarum commotiones, ingratit hospitium tam propellendi & a plenaria stasi retinendi, quam expellendi causa, hoc est dolores Rheumaticos excitat. Hos autem haud raro febribus motibus esse conjunctos non una testatur practicorum observatio, unde simul clarum est, qua ratione dolores isti lancinantes adcuratos in utroque subjecto formarunt paroxismos, sudoribus copiosis seco solventes. Rarius tamen est phænomenon, quod demum accidente ptyalismo liberi evaserint patientes. Fortassis non parum eo contribuit inconsultus spiritus vini usus externus, qui materiam intra muscularum tubulos hærentem constrictis & nimium robortis fibris, porisque sic angustioribus redditis, aliquotum tantum migrare jussit, donec circa collum glandulasque salivales congesta eliminaretur. Curiosa DRELINCURTI experientia, Rheumatismo demortuum cultro anatomico subjicientis, & materiam Gelatinæ ad instar coagulatam, crassitiem ducati adæquantem, muscularum membranis adhærentem detergentis, multum tam in genere Rheumatismis eorumque doloribus, quam in specie utrique nostro casu multum lucis adfundit. Discant etiam exinde & Medici & alii cautius ratione spiritus vini mercari,

cari, ne adfectum, cui mederi intendunt, graviorem, longiorem, & curatu difficultorem redditant. Natura namque

- - - Quæque fuit illa Dearum

suam impune non finit turbare intentionem vel motus laudabiles semel suscepitos, excretionem aliquam vel e longinquo respicientes. Quæ autem ex hoc casu sua sponte fluunt consectaria, sunt sequentia. I.) Aeris vernalis constitutio pluviosa, frigidior facile parit in subjectis prædispositis Rheumata. II.) Rheumatici dolores incongrue præsertim repellentibus tractati, graviores, longiores, & pertinaciores fiunt. III.) Rheumatici dolores in totum non solvuntur priusquam materiæ non solum stagnantis, sed & in genere seri abundantia quantitas notabilis eliminata est. IV.) Dolores Rheumatici probe distinguendi sunt, a doloribus mere passivis ne incongrue per externa præsertim spirituosa tractati, pejores adquirant indeoles. V.) Dolores Rheumatici lubentius ferunt externa sicca, potenter resolventia, & discutientia calide applicata, quam repellentia & tonica spirituosa. VI.) Ptyalismus Rheumaticis doloribus febrilibus motibus stipatis superveniens bonus. VII.) Rheumatici dolores collum obfidentes felicius ptyalismo, quam sudoribus solvuntur.

D 5

OBSE-

OBSERVATIO X.

D. CHRISTOPHORI TIMOTHEI BURG-
HARTI, (*) Physici provincialis
Reichenbacensis,

Monstrum pro Hermapbrodito false habitum.

A Nno 1726. vocabar ad molitorem quen-
dam in pago Sudetorum Michelsdorffha-
bitantem, ut infantem recens editum adspice-
rem,

(*) Natus est exercitatus ille Practicus in pago quodam
circuli Nimicensis Ducatus Bregensis, Praus, vocato,
1683. die 2. Augusti. Ubi pater ejusdem fidelem
egit verbi divini ministrum. Matrem habuit Annam
Rutharthiam. Avus erat Martinus, nobilis Bohemus,
& dominus in Kühnelhoff, Dynastiae Branney & Stu-
dentz Comitum de Zaraba, postea Baronum de Gro-
detsky peculii, Burggravius, in Silesia demum 1690.
quorsum calamitatibus tricennalis belli pressus & omni-
bus bonis exutus 1651. aufugit, nonagenario major
mortuus; Avia vero Mariana ex nobili Habeliorum
prosapia. Proavo gavisus est Paulo in Proschlitz, &
Proavia Anna de Galen. Noster Timotheus autem
domestica parentis institutione ad altiora præparatus,
Halam in paedagogium missus, & deinde 1699. ibi-
dem in album studiosorum inscriptus est, Celeberrimi
STAHLII domo & Mensa fruens. Anno vero 1700.
suau Parentis sese Wittebergam contulit, & Celb.
SPERLINGI Medici doctissimi hospitio benignissime
exceptus, magna existimatione florentes præceptores, &
inter eos præter jam nominatum, HEUCHERUM,
BERGERUM & VATERUM, Seniorem, audivit, do-
nec habita posterioris præsidio dissertatione: *De malo*
Hypo-

rem, cuiusnam generis esset, ut scirent parentes an Johannis vel Margaretæ in sacro baptismate nomen ipsi imponere deberent, quia obstetrix partum pro hermaphrodito venditavit. Accedo & invenio pusionem sanum, omnibus membris absolutum, nec adspicere inveniustum. Fasciis solutis, loco alias scroto familiari statim in oculos incidit tumor vel potius foccus, capitis infan-

Hypochondriaco, 1703. in Doctorem promotus est. In patriam reversus Reichenbachium sibi, siveque artis exercitio sedem elegit, & contraacto ibidem 1704. cum Anna Rosina Episcopia, Wratislaviensi, felici connubio, unicum suscepit filium, Godofredum Henricum, aliquoties jam laudatum. Tanta se probavit artis dexteritate & amplissima praxi, ut ipsi, postquam consilia sua optimo cum successu pestilentiae 1713. in pago Langen-Biebla dimidio ab urbe lapide sito, fabulam ludere incipienti opposuit, ejusque progressum, instituta cum aliis expertis viris consultatione, prima statim quod dicunt herba suffocavit, munus physicatus provincialis 1716. demandaretur, cui officio etiam in variis iisque difficillimis forensibus casibus hucusque multa laude praefuit. Singulari præ ceteris tinctus est cognitione in oculorum morbis, & obstetricandi arte, ita ut plus quam quatuor decies centum difficulter parturientibus auxiliatrices præbuerit manus. Spem nobis fecit Filius, notabiliores casus tam raro his oris experientiae in posterum nobiscum communicandi, & nostris Satyris successive inferendi, quia parenti, propter diffusam praxin, tempus non supereft, eos ex Scheidis in ordinem aut justum volumen redigendi. Cui laudabili proposito, ut Deus annuat, multosque adhuc Auctori ipso concedat annos, precamur. COLLE-
CTORES.

infantilis fere magnitudinem adæquans, cute ejusdem cum reliqua coloris tectus, tactu durusculus. Scrotum vero supra hunc saccum adparebat, in duos quasi exiguos tuberculos divisum, in quorum medio sola glans cum præputio eandem non tegente, sed saltim coronæ ad instar cingente, nullo præsente pene, ventri insimo supra ossium pubis limites erat adnata, rimumla quidem notata, sed non perforata. Infra glandem paulo dextrorsum, in ipso Sacco, vel tumore, profunda & duos digitos transversos longa fuit rima, vel potius plica, tumidis ab utroque latere quasi labiis stipata, continuo fere urinam plorans, primo intuitu omnino vulvam muliebrem repræsentans, & exinde simplici vetulae obstetrici imponens, infantem pro hermaphrodito vendendum. Labiis diductis, inferius occurrebat exiguum & vix visibile foraminulum, urinæ Scaturigo. Infante in ventrem devoluto, iste saccus ad limites fere ossis sacrisese extendebat, nullumque ani vestigium, neque oculis, neque digitis detegi poterat, imo etiam os coccigis nusquam observabatur. Immisso deinde per exiguum putatitiae vulvæ foraminulum subtili stilo, conjectura nostra, prima inquisitione statim nobis exorta, firmabatur, quod scilicet iste saccus nihil aliud esset, quam urinæ receptaculum, hactenus ab infante intra materna claustra, emissæ, præsertim quum ipsa sacculi cutis in aliquibus locis præsertim circa lit. g. Tab. III. fig. II. adeo esset tenuis, & ad instar vesicæ

vesicæ animalium exsiccatae diaphana (Durchsichtig wie trübe Blase) ut stili apicem tali loco facile discernere potuerim. Quare nullus dubitavi, in loco minime crasso membranam scapello perforare, & forcipe incisionem ad ulnæ fere quadrantis spatiū ampliare Incisione facta, magna urinæ aliquot librarum quantitas effluxit, sanguinis parum vel nullum. Interna cavitas peculiari quadam tunica coloris rubicundioris erat tecta, & nihil peculiare monstrabat, nisi quod ductus urinarius alias per omnem penis longitudinem decurrentis, in loco ubi anus communiter obcurrit, abdomine perforato egrediens, ubique isti membranæ adhaerent, & circa regionem ubi radix penis infra ossa pubis corpori connectitur, per exiguum foraminulum clitoridis ad instar protuberans sese terminaverit, atque lotium per temporis intervalla ut solet fieri reddiderit, manifesto arguento vesicam sphinctere non esse destitutam. Nullum autem ani vel Coccigis ossis deprehendi potuit vestigium, omni licet adhibita circumspetione imo propter inconsuetam partium conformatiōne ne locus quidem ubi commode apertio institui, hincque naturalis defectus suppleri potuisset, quare ab ulteriori tentamine defistendum, & infantem tristi suo & deplorando fato relinquendum tutius putavi, declarato eundem pro maiusculo. Audivi deinceps quod biduo post sacram lavationem placidissime, prægressis lenioribus quibusdam convulsionibus expiraverit. Occasionem

sionem mihi erectam fuisse vehementer doleo,
cultro anatomico subjiciendi hunc puerum, ut
interior forte non minus curiosa partium consti-
tutio dilucidius patesceret.

Tab. III. Fig. II. Situm anteriorem declarat.

- a. aaa. Saccus.
- b. Glans cum præputio.
- c. dextra Scroti pars.
- d. eadem sinistra.
- e. rima vel plica quædam profunda mulie-
bribus pudendis admodum similis & par-
tui pro hermaphrodito vendendo occa-
sionem præbens.
- f. parvum foramen per quod urina effluxit.
- g. Incisio postea facta.
- h. h. utriusque femoris sursum reclinati
pars.
- i. umbilicus.

Tab. III. Fig. III. Situm posteriorem exhibet.

- k. Sinistrum femur.
- l. dextrum.
- m. Sacculi monstrosi portio.
- n. locus ubi alias orificium ani solet esse.
- o. Spina dorsi.

SCHOLION.

Tanta est monstrorum humanorum multitu-
do, ut medici vel integros libros eis descri-
bendis consecraverint, inter quos LICETUS de
monstris, & BAUHINUS de Hermaproditis, pri-
mas tenent, nec ulli eruditorum putamus igno-
rum,

tum, quid præter historicos hac in re NATU-
RÆ CURIOSI, & die Breſlauer Sammlungen,
aliique, & ad unum fere omnes observatio-
num compilatores præstiterint. Uſus quidem
medicus horum casuum præter curiositatem vel
nullus, vel admodum angustus eſt, interea ta-
men diligentiam eorum, qui ejusmodi ostenta
naturæ posteritati commendant, nemo prudens
improbari potest Valent enim aliquid ad de-
clarandum abſtruſiſſimum mentis cum corpore
commercium, præſertim ſcilicet, ſi vividior
matris imaginatio ad tales naturæ aberrationes
ansam dederit. Magis profeſto mirandum vix
cogitari potest, quam ut matris idea, idea di-
cimus, ſoli menti familiaris adcurate interdum
in cute fœtus vel pingatur, vel imprimatur, imo
haud raro totus embryo ita corrumpatur, ut idea
eiusmodi viva deinceps & adcurata fiat imago.
Nobis puella, jam quartum decimum agens an-
num, cognita eſt, cui mater paulo ante partum,
per ſelem in dorsum gravidæ infilientem per-
terrata, notabile hujus rei monumentum im-
preſſit. Fert ſcilicet iſta puella, nobis quum
adhuic pueritiæ annos ageret ſepiuſ viſa, tumo-
rem vel potius excreſcentiam carnosam, ſine ulla
tamen moleſtia in regione oſſis ſacri magis ta-
men verſus oſ coccigis ſitam, exactiſſime caput
felis tam ratione magnitudinis quam figuræ, ne
quidem auriculorum, naſi, oris & oculorum,
clauſorum tamen, veſtigiis exceptis, referen-
tem, pilis undique mollibus nigris & gryſeis

(wſe)

(wie eine Cyper-Rahe) tectam. Cui vero fac-
cus in molitoris puero, recensitæ observationis
adscribendus sit, determinari nequit, quia Ce-
leb. AUTOR nihil ex mœsta matre huc pertinens
explicari potuit. COLLECTORES.

Mantissa

ad Spec. I. Satyr. Med. Sileſ.

D. GOTHOFREDI HENRICI BURG-
HART. Med. Wratislav.

Epistola,

qua

Venæsectionis necessitas & utilitas
IN VARIOLISper experientiam ulterius demonstratur,
amicè conscripta

ad

D. D. BALTHASARUM LUDOVICUM
TRALLES.

Med. Wratislav.

Celeberrimo TRALLESIO suo,
S. D. P. BURGHARTUS.**D**Octorum exercitationem, quam Tu, AMI-
CE ÆSTUMATISSIME, debemus cala-
mo, de Venæsectionis in Variolacea febre usu & ne-
cessitate, attente nuper perlegi, meumque lu-
bentis-

Tetralogia. Deinde. Et. M. et. S. et. T. A. T.

U. 3

U. 7

P. NO. 1K.

Tab. I. Spec. L. Sat. Med. Delin. Autor.

Fig. I.



Fig. II.



Fig. III.



Fig. IV.



Fig. V.





Fig. VI.



Ad. Obs. VI

Fig. I.



Fig. IV.



Fig. II.



Fig. V.

Fig. III.



Obl. VI.




Fig. I.





Fig. II.



Fig. III.





bentissime calculum communibus eruditorum suffragiis addo. Hebeti profecto exarata non est stilo, sed polito & ubique spirante judicium, doctrinamque. Ingenue fateor natos omnes circa hanc hypothesin scrupulos cuilibet eximere posse, ac mihi ipsi abunde suffecisse, ut defensam sententiam ambabus amplecterem manibus, nisi diu jam easdem foviſſem opinio-nes, immo quod magis in propria praxi circa hoc remedium felicia instituſſem tentamina. Nihil præterea eorum oblitus es, quibus divi-num fere istud artis, in prædicto morbo præ-fidium, ex principiis medicis justificari probari potest & solet, ut nihil restet, quam ulterior ejusdem per sufficientem experientiam confir-matio. Antequam vero hanc adgrediar TEcum, VIR DOCTISSIME, quædam theoreticas meas hypotheses respicientia communicare necessa-rium duco.

Me B. STAHLII affeclam publice venditare non erubesco, & Viri hujus per omnem Medi-corum orbem famigeratissimi placita mihi ha-ctenus in curandis ægris omnem quam inde speravi opem tulisse, eorundemque veritatem & usum per aliquot millia ægrotorum, consiliis his nixis fundamentis adjutorum satis proba-tam, satis amplum fuisse testor, ut nullum de eorum certitudine dubitandi locum reliquerint. Plura dico, me nunquam potuisse dictam me-dicorum sectam sine aliqua Matheſeos cogni-tione tam magni æstimare. Et eadem Mathe-

E

ſeos

seos cognitio, qualis qualis etiam sit, incredibilis illius estimationis cauſa existit pro Mechanicorum hypothefibus concepta, quas omni loco, ubi scilicet ſufficientes ſint, aut incoacte ſeſe applicari patiantur lubentissime adoptare, & cum organicis conciliare, atque, non fine ſensibili mentis quadam voluptate, conneſtere folio.

Non dubito fore plerosque Medicorum utriusque familie, AMICE, quibus ejusmodi syncretismus admodum mirus, niſi plane paradoxus videbitur, praſertim eis, quos, nec propria cognitione & doctrina, nec firmæ, adcuratae, circumſpectæ, hoc eſt, ab experientia & per eandem artemque cogitandi ſuffulta ratione, elicitæ, petitæ demonstrationes, ſed autoritatis præjudicia & unius vel alterius fama fulgentis præceptoris *autoſ eōꝝ*, quaſi ex tripode dictum, cœcoque impetu ſequutum, medicos fecerunt. Facilis mihi foret labor, quemlibet de veritate huius ſententiae convincere, & præterea ad oculum cuilibet exponere, hanc utriusque ſectæ, invicem, ut videtur ſibi ſatis contrariae, unionem, nec tam difficultem, aut, ut quidam putant, tam imposſibilem eſſe, modo tempus locus locusque permitterent. Nemini tamen, cui modo penitior utriusque cognitione inheret, iſte Syncretismus tam absurdus, ut primo eſſe videtur intuitu poſtea adparebit. TIBI praſertim, VIR DOCTISS ME, quum Organicam egrégie notam TIBI reddideris, præterea-

tereaque gaudeas animo ingenuo, candido &
a studio mordicus contradicendi plane abhor-
rente, atque alienissimo.

Publice non solum profiteor, sed & pro tam
ardua, ut sanctissimæ fidei articulum, & omni
exceptione majori veritate, cui nemo, sanam
habens in corpore fano rationem, quidquam
alicujus momenti objicere queat, habeo; *Cor-*
pus nostrum secundum rigidissimas leges mechanicas,
ut ipse macrocosmus a sapientissimo condito-
re, adcuratissime esse exstructum; ideoque omne,
quidquid inartificiosa bac machina sit, strictissime
has leges sequi. & numquam ab eis, nisi per mi-
raculum recedere posse aut debere. Verum etiam,
his positis, non ignoro, ipsa Matheſi me ita do-
cente, *banc artificioſſimam ſtructuram,* totiusque
quasi mechanices compendium, ejusque vix sub-
tilissimo & politissimo intellectu comprehensi-
bilem connexionem, constructionem, omnium
que partium regularem & legitimam Symme-
triam atque proportionem *motibus ipſis producen-*
dis non ſufficere. MECHANISMUS enim, Ma-
thematicorum dicitur axioma, NON PRODUL-
CIT, SED DETERMINAT MOTUM. Prin-
ceps & primarius humorum corporis humani
motus, sanguinis videlicet peridromus, ex fo-
lis & meris Mechanicis hypothefibus neque fluit,
neque sine paralogiſmi ſuspicione demonstrari
potest. Solidorum namque & Fluidorum *ÆQUI-*
LIBRIUM, dicto peridromo producendo ad-
plicatum, efficit plane contrarium, nemo, niſi

mehercle, in incomparabilis NEWTONI,
 s' GRAVESAND, HERMANNI, WOLFFI,
 aliorumque saeculi nostri principum Mathemati-
 corum voluminibus sit hospes, negare aude-
 bit axioma, æterna fulgens veritate, ab his aliis-
 que solide demonstratum; *Potentias in aequilibrio
 positas sese invicem destruere.*

Concludas igitur, AMICE, ex hoc unico
 specimine, quantum praestent usum Mechanica
 principia in explicandis corporis humani moti-
 bus, aliisque phænomenis, quam vero necesse
 etiam fuerit his principiis, quum ubique non
 suffecerint, certum aliquod *motus ipsos produ-
 cendi, & secundum necessarias leges continuan-
 di aptum*, hoc est *Ens*, vel *principium aetrium
 superaddere, sociare, unire*. Objicies autem for-
 te mihi, ni fallor, quod hoc modo movens il-
 lud principium, uno verbo *Mens humana*, non
 tam libere prout alias Stahlianii volunt, putant,
 agere, cunctaque secundum beneplacitum, aut
 voluntatem efficere possit. Reete mones, sed
 quid putabis, si hoc argumentum plenis TIBI
 concedam manibus, dicamque, me id ipsum
 credere, hancque Stahlianam thesin longe ar-
 etioribus circumscribere limitibus, quem alias
 solet, neque tantam naturæ, quo vocabulo, ut
 notum est, Stahlianis Mens humana venit, li-
 centiam adscribere. Non sine stomacho inter-
 dum, aut bilis effervescentia, peculiares quas-
 dam loquendi formulas a præceptoribus sine ul-
 teriori examine arreptas, & pessimo abusu omni
 data

data occasione recoctas, effutitas iterum, audi-
vi, si discipulus quidam Stahlianus psittacorum
ad instar magistrum voce praeunte fideli cœ-
coque obsequio sequens, alicujus phænomeni
in humano corpore exorti rationem reddere
coactus, se aliter non expediverit, quam ejus-
modi sententiola: *Naturæ ita placet, (Die Natur
will es so haben)* sed quare? nihil namque fit
absque sufficienti ratione. *Natura hoc vel illud
fæcit, (Sie thue das, oder das)* sed quibus auxi-
liis? Interea tamen præter hæc brocardica nul-
la ulterior aut ponderosior ratio extorqueri po-
tuit, quare mirum non est propter ejusmodi
lepidas, si Dis placet, loquendi formulas Stah-
liana dogmata, plurimis alias in locis præcla-
ra, & in præx eos exercitio plane egregia apud
multos emunctioris naris homines contemni,
pro ridiculis haberi, imo a quibusdam rixandi
pruritu aut contradicendi mania laborantibus
(qui admodum sibi mechanicorum titulo pla-
cent, adulantur, modo, quod dolendum, Me-
chanicen prius intelligerent, aut eandem sine
fœdissimis paralogismis, quorum alias prima
Matheſeos rudimenta discentes puerulos pude-
ret, corpori humano applicare callerent) Afy-
lis ignorantia adnumerari. Si liceret jam scri-
bere prout libet, TIBI, VIR DOCTISSIME,
explicarem, quomodo utraque essentialis ho-
minis portio, Mens scilicet & Corpus, post tam
arctam a Creatore productam unionem, sequi
debeat alteram, aut quomodo utriusque vi-

E 3

res

res sese habeant, aut quomodo actiones viribus alterius respondeant, & reliqua, ne scilicet multipli experientia adferantur contraria, aut Mechanicis legibus injuria vel violentia fiat. Provoco interea ad Illustr. HEINECCII, Praeceptoris olim æstumatissimi *Elementa Philosophiae Moralis*, tanquam omnibus numeris absolutas hactenus defensarum opinionum probationes, partim aperte insertas, partim per legitimum concludendi artificium ex axiomatibus ibidem positis eruendas.

Quæ hactenus dixi, profecto non TIBI contradicendi aut firmissimas, mechanicis hypothefibus superstructas demonstrationes necessitatem & utilitatem Venæfectionis in febre Vario-lacea abunde probantes, enervandi studio allegavi. Absit talia vel cogitasse. Tuæ videlicet meditationes satis sunt elegantes, & veritati admodum consonæ, ita ut mihi sufficienes omnino videantur, hoc, cuius gratia typis ex-sculptæ sunt, extra controversiam ponere. Is tantum fuit scopus, TIBI, priusquam progedior ultro TEque monstrante viam præjudicium perniciosum debellare, & contra illud nisi toti orbi, fortassis tamen urbi fastidium excitare laborem, opinionum Theoreticarum confessio-nem exhibere, ut eo adcuratius cernas, quod me veritatis amor, non curata inter nos quamvis adparenti potius quam reali differentia itidem incitarit, ut præsidium viribus maximis pollens, grunnientibus licet prædicatis opinio-nibus

nibus & malevolis collegis defenderem, ac per experientiam, usum usdem probarem, si videlicet *justo tempore*, & cum *recta ratione* adhibetur, demumque ostenderem, quam multum, longeque omnibus ex pharmacopolio petitis, auroque & gemmis fucatis remediis anteferri mereatur.

Placuit deinceps TIBI, AMICE *causam febris Variolacea* ejusque præprimis epidemicam constitutionem, ingentem mortalium numerum nullo sexus & ætatis observato discrimine corripiensem, in aere querere. Et recte quidem meo iudicio. Nam non opus est jurejurando, tanquam ante medicinæ tribunal inutili & supervacaneo, ut hæc thesis pro vera habeatur. De mortuorum anni præterlapsi indices, & variolantium stupenda multitudo, cuius omnes adhuc recordantur, satis demonstrant, quam ardentam inter se variolæ, earumque impetus vel crescens vel decrescens, & status plus minus periculosus ac deinde tempestas aeris, de mente in mensem servabant harmoniam. Nemo certe, observata æstate ultra modum & morem his oris frigida & humida aliter concludere potuit. Si igitur transpirationem insensibilem, multorum annorum continua diligentia per SANCTORIUM examinatam, probatam, & inventam, ejusque cum tempestatis mutatione, vel adcuratius loquendo, aeris differenti levitate & gravitate, & inde in corpus nostrum pendente pressione, actione convenientiam po-

namus; postea corpus humanum tenerioribus fibris multa sensibilitate præditis, tubulis angustis, sanguine vel ad spissitudinem vel orgasmum prono, instructum, repletum, cui præterea junctus est animus meticulosus, inconstans, & interdum horulæ spatio vel decem inter se pugnantibus affectibus expositus simul conferamus: facile in oculos incurret Variolarum epidemice hactenus grassatarum & enormiter furientium, immo huc usque (*) non plane cefantium causa; manibus quasi palpabitur ratio, quare puerorum variolis extinctorum numerus, teste demortuorum indice, mensibus justo frigidioribus & humidioribus, major fuerit, quam reliquis contrario modo habentibus? jam facilis est responsio, cur *Julio* mense plures mortui sint quam præcedente *Junio*? Cur *Augustus* periculosior fuerit antecedentibus? Cur *September* amoenus & calidus pauciores vita migrare jusserit? Cur postea propter inexpectatum & uno impetu quasi ingruens atque constanter durans frigus, mortuorum numerum iterum notabili modo auxerit *October*? Cur denique *November* omnes furore superaverit? Et cur iterum *December* sese mitius gesserit? HIPPOCRATES noster, crebra multorum annorum observatione doctus, morbos epidemicos, anni tempora hisque familiarem tempestatem sequi, & licet experimenta sua in Græcia, climate longe cali-

(*) Tempore scilicet quo exarata est epistola.

calidiori nostro , fecerit , notum tamen est , modo aerem Græciam ambientem cum nostro prudenter conciliamus , maximum hunc sui præsentisque ævi medicum rem acu tetigisse , non obstante , quod propter instrumentorum aero-metriae dicatorum defectum , rationem , id est habitum corporum humanorum ad raritatem & densitatem aeris ejusque in eadem agendi modum nesciverit . Immortalis BOERHAVIUS , dictum aeris in corpora viva impetum & impressionem , imprimis autem damnosos frigiditatis , incongruo tempore exortæ effectus experimentorum diligenter institutorum fide tam aperte cuilibet in *Elementis Chemia* ob oculos posuit , ut luscus aliquis aut juratus veritatis hostis , vel præjudiciorum mancipium esse deberet , si suffragia & calculum denegaret . Curiosa hic mihi in mentem incidit observatio olim in WEISBACHS *Eur aller Krankheiten Cap. de Peste* lecta , quæ , ut credo ad epidemiam variolarum constitutionem non male applicatur . Experientia videlicet docuit Medicos Dantiscanos , quod furente ibidem 1709 . gravi pestilentia Mercurius in Barometro gradum altitudinis $96\frac{1}{2}$ aeris pressione attigerit , cuius ne quidem frigidissima hyeme ejusdem anni exemplum viderint , immo calidissima alias æstate vix ad 70. pervenerit , & ipsa ætas 1709. non adeo calida fuerit , quare non inepte concluderent ; Pestilentiam in inconsueta aeris

E 5

rare-

rarefactione, (*) quam humanum corpus sine corruptionis labe diu perferre plane non possit, consistere. Si jam Celeb. WOLFI tentamina & deductæ ex eis conclusiones in den vernünffigen Gedancken von den Würckungen und Absichten der Natur propositæ, legesque hydrostaticæ, quarum vi pluviam deciduam exponit, in consilium vocentur, hisque anni præterlapsi tempestatis humidæ consideratio connectatur: facile patet aerem eodem modo, nostro climate ultra modum fuisse rarefactum, & ex tali rarefactione variolas epidemice grassantes, si non in totum, maximam tamen partem derivari posse. Nil magis doleo, quam quod mutationes Barometri mei satis adcurati, non prout alias solebam, indies adnotaverim, quo mihi in præsenti multum præstarent utilitatis.

Postea, AMICE, TIBI placuit certum aliquid *miasma*, sive *venenum variolas producens in aere boſſians statuere*; tale quid ipfem et in totum negare nolo, quamvis ex observationibus allegatis clarum est, Variolas etiam posse sine Lubidio ejusmodi miasmatis per aeris constitutionem, aut sublatum ejusdem, corporumque nostrorum æquilibrium internæ auræ, explicari.

(*) *Rarefactionis* vocabulum legibus aerometricis, hodie per innumera tentamina detectis, quodammodo contradicere videtur, potuit tamen facile adpares talis contradictionis solvi modo hic sub aeris voce, non solum elementum ipsum, sed simul omnis atmosphæra subintelligatur.

plicari. Si vero necessario ejusmodi venenum vel miasma admittere debeam, quia ejusdem ex morbo infectis corporibus exspiratio, non in dubium vocanda est, credo etiam, quod partim plus, ad majorem vel minorem variolarum malignitatem, quam actualem suscitacionem, partim ad particularem unius vel alterius individui infectionem, quod alias sine tali accepto contagio, a morbo plane mansisset liberum, hanc parum conferat. Male itaque agunt, ut ex his præmissis practicam, multiplice experientia confirmatam, conclusionem eliciam, qui variolantes pustules in hypocaustis ita incarcerant, ut omnis purioris aeris accessus arceatur, miserosque ægros consequenter cogant, angustiori præsertim camera, particulas peccantes ex morbo corpore & humoribus vix evaporatas, & eliminatas, iterum per respirationem de novo intra corpus sumere, & liquoribus immiscere. Interea hoc consilio illis, qui infantes variolis laborantes indiscriminatim aeri frigido exponunt, aut frigida lavant, glacie fricant, tegunt, patrocinari nolo, multo minus etiam his, quos Celeb. noster H . . . poemate quodam ad parentem conscripto, false ridet;

Wie viele macht ihr hizig Rathen
Zu Bergen, welche Feuer speyn,
Sie dencken, wenn sie Krank'e braten,
Dß Menschen Salamander seyn.

Nam

Nam ne quid nimis & hic valet, alias HORATII
versus;

*Stulti, dum fugiunt vitia, in contraria currunt.
rei fiunt.*

Quicquid itaque ratione veneni variolacei
sit, me tamen numquam eo adiget, ut TEcum,
AMICE, bellum ineam. Detur ejusmodi ve-
nenum variolas producens, sive non, perinde
est, nihil venæctionis utilitati detrahit, firmo
stat talo manetque conveniens hujus morbi re-
medium.

Veniam adhuc dabis, AMICE, uni tantum
monito *Febrem Variolaceam* concernenti, quod
moderatus STAHLII adsecla modeste profe-
ret. Satis quidem ni fallor mentem meam Me-
chanica principia in arte nostra magni facien-
tem, supra declaravi, hoc tamen non obstante
fateri cogor, quod *febrem variolaceam pro salu-*
tari celeritatis, vel motuum in humoribus circulan-
tibus augmento habeam. Non diffiteor & hos mo-
tus humorum auctos, id est *febrem periculo non*
carere, imo haud raro subsequentis mortis cau-
sam esse, mihi tamen etiam concedes, posse ali-
quid simul bonum & malum, aut utile & noxiu-
dici, in relatione scilicet cum aliq re. Quum
itaque, ut hodierni philosophi certo adsumunt,
singula sufficientem habeant rationem; nosque
ponamus *corpus humanum miasmate varioloſo eſſe*
infectum, quounque etiam modo hoc factum
sit, sive ex tua opinione per *contagium* vel com-
municationem certi cuiusdam veneni in aere
hospi-

hospitantis, natantis, humores corruptentis,
sive ex mea sententia per sublatam corporum
nostrorum aeris imperii resistendi vim, sive utro-
que modo primum morbi, de quo loquimur, or-
tum esse somitem; prætereaque experientia no-
tum sit febrem variolaceam huic humorum corru-
ptioni admodum esse connexam, eamque presso
pede sequi: Consequens est, ejusmodi febrem,
data infectione humoribusque perversa quali-
tate & periculoso vitio imbutis, necessariam esse.
Eadem experientia docet, sine tali febre, mi-
asmati corpori gangrenam, sphacelum, putre-
dinem omnemque destructionem minitantis,
secretionem & excretionem, hoc est, variolas
ne quidem fieri posse. Si itaque ista febris tam
necessaria, sequitur ut etiam admodum utilis sit.
Prout autem vim ageniem, ad resistenter, exactam
servare oportet proportionem, si certus quidam
actus vel effectus per priorem produci debeat;
& machina, quando vis agens debilior est resisten-
tia, numquam intentum ab artifice effectum pra-
stabit, atque idem convaria ratione eveniet, si
scilicet vis agens nimium superet resistentiam: Ita
etiam sepe habet febris variolacea, que tantum
per accidens noxia sit, damnumque notabile in-
fert, quando nempe aut nimium lenta procedit,
ita ut materia peccans sive miasma variolas pro-
ducens non satis cito eliminetur, sed tempus mo-
ramque, solidas partes adgrediendi, easque
corrumperi, consequenter mortem inferen-
di, lucretur, aut precipitanter, acutæ & ferocior
furit,

furit, ita ut hoc modo eundem effectum tristem producat. Notum enim est, durante ultra modum *aucta* sanguinis peridromi *velocia*, hoc est, ardentissimo calore, neque in febris intermittentibus, neque continua, ullam fieri posse per cutis peripheriam *excretionem*, immo ne quidem insensibilem transpirationem procedere, multo minus actualem adparere dia pnoen, sed ægrotos enormiori sanguinis orgasmo expositos, sujectos, esse siccos, & tactu quasi asperos, quia velocissima circulatione, sanguinis omne volumen ultra modum rare faciente, tubulorum secretioni & excretioni superflui aut nocivi humoris dicatorum paries, latius, quam tonus eorundem actioni a creatori destinatae conveniens requirit, expanduntur, & per consequens hæc organa se- & excretoria extra potestatem actiones suas absolvendi ponuntur, quare facile comprehendi potest, cur febris variolacea ultra modum *aucta*, stasibus, inflammationibus, Gangrænæ, sphacelo, & demum morti ansam præbeat, & ideo per nictosa dici mereatur.

Dicas itaque velim, Amice, an inepte concludam? Si febrem Variolaceam limites non excedentem, sed ad excernendam materiam tam ratione temporis, quam vehementie, positis individualibus viribus subiecti ægrotantis exactam proportionem servantem, pro salutari habeam? aut, quum Mechanismus tantum motus determinet, non vero producere possit, alteri hominis essentiali parti,

parti, id est principio agenti, corpori ad eo arcte
unito, *Menti scilicet, atiquas tribuam partes?*
Ignotus TIBI esse, TUQUE mihi, nec animum
tuum mihi a gymnaſticis ſtudiis, & confeſſu-
ter tribus jam lustris pereſpectum habere debe-
rem, fi crederem TE mihi negaturum calculum,
aut ad minimum veniam non daturum, quod
thesin, quæ TUÆ quodammodo contraria vi-
detur prolixius, nec tamen, ut ſpero, immodeste
defendere, mecum conſtituerim. Quam faci-
lis eſſet non tantum duorum ſed int græ deca-
dis medicorum, apud ægroti lectum conſpira-
tio, modo cuncti tantam poſſiderent artis &
morborum cognitionem, animi ſuavitatem,
quanta TIBI eſt, aut omnes tam libenter aliquid
de ſua remitterent opinione, prout ego, aut peſ-
ſimum præjudicium, quaſi nihil boni niſi in ea
ſecta, cui nomen dederunt, inveniretur, ejura-
rent, aut ambitionem ſuam, veritati ſemper &
ubique contradicare paratam, ridiculamque
panſophiæ medicæ, perſuasionem, virtutis fre-
no, ſtudioque ſe ipſos & dominantes adfectus
pravamque indolem debellandi, paululum mo-
derarent.

Postea TIBI, AMICE ÆSTUMATISSI-
ME, ſatis amplum celeberrimorum medicorum,
eandem ratione venæfectionis in variolis ſen-
tentiam foventium numerum adducere placuit.
Inter hos etiam Excell GOELICKVS meus
olim præceptor ad cineres devenerandus legi-
tur, quem, licet Stahlianus fit, intuitu hujus rei
æquum

æquum ferre judicium testaris. Allegatam dissertationem quidem in supelle & tili mea libraria non habeo, Collegium vero ejusdem practicum manuscriptum, 1729. mihi aliisque commilitonibus dictatum possideo, ex quo integrum §.497. cum quibusdam præcedentibus & subsequentibus variolarum curam, tradentem, TECum communica: Non minus quoque, inquit, incommodum est Plethora, cui rectius subveniri non potest, quam ACTUALI SANGVINIS VENTILATIONE PER VENÆSECTIONEM, cuius & ante Variolas, & in ipsis susceptæ felicem successum viderunt practici, inter quos PECHLINVM nominamus lib. II. obs. 14. qui per eam, cardialgia, inquietudo, Calor summus & siccus, pulsus citior aliaque symptomata vehementissima, evacuatoria tali VSne ita mitigantur, ut laxatis vasorum sanguineorum spatiis, libere de novo massa sanguinea evolvere sese queat, & excusione exanthematum locum præbere. Absurdum tamen foret credere eandem indiscriminatim adfectibus bisce per se absolute competere, cum in singulari & individuali hac circumstantia suum tantum locum hic inveniat, plethora nempe individuali praesentia. Quo libenter itaque huic opinioni subscribes, eo minus TIBI annexa restrictio displicebit. STAHLIVS ipse *Dissert. de Variol.* & *Morbil.* de Venæsectionis usu in Variolis non tam magnifice sentit, eamque nusquam nisi in statu plethorico omnem excedente normam, & in adulteriori tantum ætate admittit, quem etiam NENTERVS & JVNCKERVS presso pede sequuntur.

tur. ALBERTI vero longius iterum procedit, scribitque *Therapia Med. Cap. de Variol.* Sicut vero missiones sanguinis artificiales direc**t**e & essentia**l**iter, ut ad malignarum febrium curam in genere, ita ad variolas & morbillos non conducunt, tamen interdum occasio suppetit, ubi cum fructu tempestiva Venæsec*tion* ordinatur, & quidem in subjectis adulterioribus ac simul plethoricis, haqtenus quidem nil aliud quam antesignani sui dixit, in sequentibus vero propinquius accedit, quibus pergens, intensiores plethorae commotiones familiares, aut quæ antebac actualibus moliminibus, vel eruptionibus hemorrhagicis obnoxia fuerunt, in quibus consuetudo ad dimittendum sanguinem superfluum & molestum adest, ergo etiam pueris cruento narium stillicidio alias adsu&etis administranda, aut porro continuat, in quibus gravis commotio animi & corporis proximus præcessit, & simul SUSPECTÆ ORGANSTICAE COMMOTIONES, & IMMODERATAE ELUCTATIONES SANGUINIS METUENDÆ SUNT, in talibus, inquam, subjectis mox in primo initio administrata Venæsec*tion* moderate in brachio utilis esse observatur, alias vero nunquam securi usus est. Plures huic se&tæ deditos facile allegare possem, si placeret, hi autem tanquam stellæ primæ magnitudinis sufficient. ETTMELLER Tom. II. Oper. Venæsectionem huic morbo potius damnum quam usum præbere putat, licet fateatur, alio quodam & calidiori climate utilem dici posse, si vero Phrenitis superveniat variolis, tunc demum suadet eandem.

F

LV.

LVDOVICVS MERCATVS e contrario ad modum favorable & experientia fundatum fert de Venæsectione judicium, quando de Morb. Pueror. lib. II. Cap. 12. scribit: *Sciendum est hujusmodi morbillos & variolas exituras, semper comitem habere certum quandam continentium febrium modum, & certam naturam quæ necessario, tum plenitudinis majoris aut minoris, aut ratione ejus dispositionis, quæ in vasis contrahitur propter succorum effervescentiam, prærequisitum evacuationem, & eam per SANGUINIS EXTRACTIONEM, quo præsidio magni momenti consequimur beneficium tum quia plenitudo deponitur, qua deposita, natura redditur potentior, ut supra dictum suprarefidarum faciliter expellat, tum quia compescimus fervorem, & consequenti minuimus plenitudinem eam, quæ ex fervore cauſatur.* VIDUS VIDIUS, veteres sequitur, & hoc præsertim morbo medicos Arabes, quare etiam Venæsectionem necessariam prædicat, ejusque loco apud infantes nimium parvulos aut debiles, aut hos, quibus ob exilitatem difficiliter Venæ secantur, SCARIFICATIONEM commendat. HVCHERIVS de Febr. natione Gallus curationis Variolarum initium Venæsectione facere præcipit. pariter ac PRIMEROSIVS de Febr. insuper parvulis HIRUDINES adplicans. JONSTONVS Syntagm. & BONETVS Polyalb. s. comment. ad preced. opus. eandem fovent opinionem. MERCVRIALIS de Morb. Pueror. ÆMILIVS DE CAMPOLONGO Tratt. de Va-riol. VICTOR TRINCAVELLA, & HORATIVS

TIVS AVGENIVS uerque de Febb. Venæsec-
tionem necessariam prædicant, & posterior
ejus usum per observationes factas demonstrat.
THOMÆ SVRNETI verba in Thes. Præt. hujus
rei causa prolata adeo notabilia sunt, ut non
possim non ea transcribere: *In variolis, inquit,*
ante eruptionem sanguinera esse mittendum affirmant
uno ore Medici fere omnes, si scilicet ingens fuerit
febris incendium, nimiaque sanguinis effervescentia:
levata enim, vena secta, natura quo tanquam sarcina
opprimitur onere, facilis & felicius materie mor-
bifice, aggreditur ad partes extimas protrusionem.
Hanc praxin tum recta ratio, tum MULTIPLEX
EXPERIENTIA confirmat; IN OMNIBUS CU-
RÆ MEÆ COMMISSIS, SALUTIFERAM
SEMPER COMPROBAVI. Heic non unicam,
sed frequentibus repetitam experientiam alle-
gatam notare velitis. Immo, pergit, huic præci-
puo generoso præsidio acceptam sanutatem sub DEO
referendam judicavi. Nequaquam, ut FALSO
creditur, necessariam sanguinis impedit, imo verius
nimiam ejus compescit ebullitionem; ita ut phleboto-
mia præmissa potius quam præterita felicius procedat
variolarum erupcio. Mirari nondum desino, unde
nam tantum in venæsectionem vulgi (his locis etiam
Medicorum) animis præjudicium subortum, quo sit,
ut famæ sue nimium consulentes vix ausi sint medici
in variolis perundere venam cum tamen omnes fere
omnium nationum Medicinæ proceres, qui scriptis
orbi inclarerunt, magnum hoc Bonū in hoc affe-
ctu summis laudibus reliquerunt commendatum.

F 2

Du.

Dubito an unquam audacius scribere potuerit Medicus? Ne vero aliquis mihi objiciat, me in defendenda thesi nostra non nisi exteris armis, alio quidem climati & calidiori non vero nostræ regioni paululum frigidiori convenientibus uti, Medicum Germanicum opponam JOHANNEM FRANCISCUM scilicet LOEW ab ERLSFELD, Medicinæ Professorem in antiqua Carolo-Ferdinandea Pragensi Academia qui *Partu* suo, ut vocat, *Medico*, sive de Variolis tractatu, omnem quem potuit lapidem movit, quo Venæctioni in Variolis sua constaret utilitas. Cui merito ad latus ponuntur HOETERVS & SORBAIT Viennensium Medicci idem statuentes.

Quum autem nimium dubitantibus non sufficiat, ut quis concionetur, sed præterea verbum concomitantibus signis vel miraculis firmatum optent, etiam in eorum gratiam, qui Thomam sequi antesignanum amant, quædam adducam. Parum quidem frontis habere videntur, quos tot illustrium Medicorum Oracula, aliud quam millies repetitam experientiam non agnoscensia fundamentum, haut movent, ut perniciosum tale, nequid pejus dicam, præjudicium ejurent. Interea tamen NICOLAUS FRANCHIMOND, Pragensium Medicinæ Professor, & semifæculo major Practicus, meam agat causam, qui innumeros pueros, & admodum adhuc parvulos Variolacea febre decumbentes, secta vena, adparentibus quamvis in quibus-

quibusdam jam rubellis maculis ab instantibus,
 & præsentibus iisque dirissimis convulsionibus
 liberasse, & ex mortis faucibus eripuisse testa-
 tur. THIERMAYER idem fecisse non diffite-
 tur, atque adfirmat, multos infantes absque
 hoc remedio in variolis aliisque morbis acutis
 mortem effugere non potuisse. His addimus
Acta Eruditor. Lips 1728. Mens. April OSWAL-
DUS GREMBS arb. ruinof. Lib. II. Cap. III.
 rarum exhibit casum, de Virgine quadam pu-
 bertati proxima, Variolis mortua, cui inter-
 missa Venæfæctio triste fatum manifesto accele-
 ravit. Initio scilicet narium hæmorrhagia pro-
 pter frigus vero externum, cui se hyemali tem-
 pore iter faciens exposuit, rite non procedente
 tentabatur, donec postea inter variam naturæ
 cum morbo & Medico luctam paucæ maculæ
 subsequentium variolarum præcursorores quidem
 adparerent, fabulæ vero superveniens demum
 Vomitus & mictus cruentus finem imponeret.
 Non una mecastor, AMICE, sed plures mihi
 hic loci notæ sunt virgines puberes & adultæ,
 eminenter plethoricæ, vita funetæ, quibus ta-
 men expellentia immo volatilia remedia, &
 haud raro primis jam diebus, antequam materia
 variolacea excretioni esset apta, largiter dabam-
 tur, nemine tamen considerante, Venæfæctio-
 nem his symptomatis, si non plane necessa-
 riæ attamen non inconvenientem, aut ad mi-
 nimum tentandam esse. Quum jam CELSUS
 suadeat: *Melius esse, dubio desperatoque morbo ad-*

F 3

bibere

bibere anceps remedium (in quem censem ordinario a Medicis quibusdam hæmophobis Venæsectio in Variolis refertur) quam nullum, (aut quod perinde est: insufficiens.)

Satis hucusque peregrinis aut aliunde mutuo acceptis armis dimicatum, nunc propria experiar. In antecessum igitur TIBI, AMICE, me oportet dicere quod mihi occasio non defuerit, quum *Reichenbachio* urbe præx in adhuc exercerim, Variolas, earundemque fabulam ludendi morem propinquius inspicere, cognoscere, anno præsertim 1733. ejusque mensibus vernis & æstivis prioribus, quibus, ut prægressos 1732. & 1731. taceam, aliquot centum hujus generis agros vidi, curavi, Deo que annuente sanaui. Eo certe tempore egregias observatio-nes me adnotasse, & literis consignasse testor, iisque integrum *Morboneæ mæ sudeticae*, numine Votis adspirante in posterum brevi prodituræ partem impendere certo mecum constitui. Augusto tali variolantium infantum numero expertus sum: Omnes variolis, *narium sanguineo stillicidio* prægresso, quod nostro climate inter duodecim omnino septem passi sunt, laborantes, tam facile ut vix credi possit, evaserunt, immo se vix in hypocanto, multo minus in lectulo contineri patiebantur. Hæc vero sua sponte prorumpens, succedens *narium hæmorrhagia*, haud raro plus simplici vice stillando interdum adhuc recurrebat, maculis jam præsentibus, im-

mo

mo tantam aliquando sanguinis copiam eliminabat, quantam nullus unquam medicus si etiam maxime temerarius fuisse, adulto vena secta detrahere auderet. Forte scire vehementer aves, AMICE, quid ejusmodi crux profusionem sequutum sit? profecto nil aliud quam quod nullius recorder exempli eventus funesti. Me itaque Charlataneriz, sit venia verbo, reum aestimare, nolis, obnixe rogo, tempus quo factum est nec adeo multum effluxit, nec Reichenbachii urbs tam longe distat, ut nemini esse possit difficile veritatem expiscandi, meque etiam hanc laudem ex patria huc adportasse credo, quod ad nil minus, quam fumum ventumque vendere, ampullas loqui aut thrasonem glriosum agere aptus sim. Mortuos & ibidem variolis quosdam, verum quidem est, sed non alios, nisi qui neque narium hemorrhagiam, neque Vomitus aliasque sensibiles excretiones, neque Convulsiones, & has variolæ non adeo malis moris exceperunt, prægressas experti sunt. Quibus itaque nullum ex recensitis symptomatibus eveniebat, aut statim ab initio tussis humida, vel quod adhuc periculosius erat, Diarrhoea superveniebat, omnes fere diem obierunt, exceptis paucissimis præter spem & expectationem evadentibus. Eodem tempore curæ meæ puellæ quædam puberes traditæ, ubi febris variolacea cum catameniorum eruptione coincidebat, immo in quibusdam menstrua hæc evacuatio, justum circulum aut erumpendi tempus per octo vel

F 4

qua-

quatuordecim dies anticipabat, naturamque a superfluo & gravante sanguinis onere liberabat, nullo tamen nisi felicissimo successu observato. Puperperam aliam vix a consueto post partum lochiorum fluxu liberam, simul cum pustione suo, quem ipsa lactaverat, variolis ægrotam, & felicissime evasam viribus tamen serius quam par fuit redeuntibus nondum oblitus sum. Opem præstigi puellæ novenni, quæ non tantum primis quatuor diebus febre Variolacea decumbens, narium hæmorrhagiam plus duodecies passa, singulisque vicibus duas fere sanguinis unalias perdidit, sed & per omnem morbi decursum, donec variolæ arefactæ deciderint, quotidie post meridiem intra tertiam & quartam narium filicidio sanguineo laboravit, singulisque paroxismis, ut aliquoties præsens spectator testari valeo, mediocris magnitudinis vasculum infuso Theæ bibendo dicatum (ein mäßig Thee-Schälchen) sanguine effluente replevit, variolis tamen, quod omnem fere fidem superat, optimè se habentibus, nec ullum dubii eventus signum præbentibus, potius e contrario illstri multitudine efflorescentibus, distinctissime crescentibus, & unionum ad instar pulcherimorum rotundis; patiens etiam ægra præter quandam virium debilitatem, consuetamque istorum ulcerum ardorem nil conquesta est, sed bono appetitu escam potumque adsumfit. In genere vero adnotavi, quod post largam narium hæmorrhagiam, calor maxime anxius, Pectoris angustia,

gustia, dolor caput tentans, dorsumque lacinans,
vel brachiorum pedumque articulationes afficiens, mo-
lestus extimæ cutis ardor, in totum fere non so-
lum cessaverit, sed & febris tam mitis redditâ
fuerit, ut vix aliter quam pulsu arteriarum al-
terato dignosci potuerit, variolis interea non
minus, moderatis maxime dicto modo moti-
bis febrilibus, facile & sèpius ingenti copia erum-
pentibus, quamvis apud multos obstinato ca-
pite præditos parvulos, idque omne, quod vel
medicamentum dicebatur vel sapiebat, pertina-
cissime abhorrentes, præter prudens & conve-
niens regimen temperatum, nihil, quam infu-
sum herbæ Thæ largissime propinatum, aut
ubi res angusta domi decoctum hordei momen-
to feminis feniculi & raparum, cum quodam
interdum euporisto, stercore scilicet ovillo num.

2. a. 3. mixtum adhibui.

Si ergo Medicus naturæ non est magister, sed minister tantum, eadem præterea autocratia sua salutarem ejusmodi hæmorrhagiam excitandi capax; sequitur ut dígito quali monstret remedium quo sublevari vult & curari. Ego me- castor, & forte nemo, comprehendere nequeo, prærogativam excitatæ per naturam hæmorrhagiæ in hoc morbo præ artificiali, quum præsertim hæc, prout recte mones, AMICE ÆSTUMA- TISSIME, in artificis potestate fita sit, ut ad lu- bitum eandem excitare possit & cohibere, illa vero soli naturæ relicta, haud raro incongruo tempore evenire, justæ mensuræ limites exce-

F 5

dere,

dere, & consequenter noxia & perniciosa fieri soleat. Supra adductum enormioris hæmorrhagiæ periodice recurrentis exemplum, regulæ universali constituendæ profecto non sufficit, quippe quod vix quinquaginta, & plura forte corpora tam notabili sanguinis jacturæ perferendæ habilia forent. Unicum adhuc monebo, me nempe inter variolantes parvulos, *bic loci*, Wratislavia scilicet, meis consiliis adjutos, oppido paucos, immo ex duodecim vix duos adnotasse, in quibus variolæ cum *narium hæmorrhagia* coniunctæ expellebantur, quia plurimi vomitum potius passi sunt. Quid TIBI circa hanc rem, aliisque collegis innotuerit, non satis quidem mihi notum est, licet amicorum quidam me certiore rem reddiderint, quod eorum observationes parum a meis distent. Utrum igitur in genere variolarum anni præterlapsi constitutio talis fuerit? aut situs inter Wratislaviam & Reichenbachium differens, vel posteriori urbe vini adusti abusus, pueris etiam ab ipsis incunabulis jam familiaris in causa sit? nunc non inquiram, quamvis ad posterius magis inclino. Tentamina namque Barometrica testantur, Reichenbachium ratione Wratislaviæ situm multo altiore occupare, aërique propter vicinos sudetes, ad quorum nempe radices jacet, expositum esse puro, raro, claro, vaporibus & nebulis ut plurimum vacuo, e contrario autem frigidiori, atque ventibus acutis, quæ atmosphæræ constitutio, si incolarum corporis vivendique generi comparatur,

non

non adeo incongrue phænomena eo tempore Variolas epidemice grassantes comitantia illustrati & explicat. Quum itaque natum hæmorrhagia heic loci, non tam familiare fuerit symptomata, ut alibi; multi vero dentur pueri admodum plethorici, ut, posthabitibus aliis rationibus vel sola febris variolacea vehementia & periculosus status satis superque demonstrant; Narium e contrario hæmorrhagia, limites non excedens, non solum Medicis id patentibus sed & vulgi experientia adprobante, feliciorem ac faciliorem variolarum eventum causet: Consequens est, ut quilibet, nisi cerebri loco fungum intra cranium habeat, arsque ratiocinandi ipsi tam incognita sit, quam lingua Hotentotica in Europa, credere faterique debeat; *Premeditata probeque secundum artis regulas ad trutinam animi examinatam, per persam VENÆSECTIÖNEM variolis esse maximopere conveniens perfecde securum, admodum necessarium & utile remedium.*
Q. E. D.

Crederem itaque, AMICE, allegatas hactenus rationes, demonstrandas nostræ, sed quid dicam nostræ, totius doctorum medicorum ceteræ opinioni sufficienes esse. Haud etiam, quin placeant, dubito, nilque minus, quam publicam metuo contradictionem. Duorum enim mihi videntur generum collegæ nostri; alterum probo doctum, experium, multa queratione præditum est; alterum scientia fruitur telluri vix creatæ simili;

simili, *inculta* scilicet, & *inani*, atque in *abyssō tenebris cosa*. Prioris commatis viri, nihil ut vero videtur simile, minabuntur, posteriores vero in sinu suo gaudebunt quod publicum doctrinæ specimen exhibere non obstricti sint, justo perculsi metu, ne philosophum quendam imitari teneantur tamdiu pro sapiente habitum, quamdiu tacuit. Si vero consultius putarent, clam ac post terga nostra & consequenter eo artificiosius Venæctionem contemnere, improbare, aut perniciosum mortemque necessario inferens præsidium dicere, vel ejusdem defensoribus, thrasonicis calumniis, apud imperitum credulumque vulgus, interdum momentum pretii invenientibus, stigma inurere; has tamen medici Machiavellismi præstigias misericordiæ, aut si mavis contemtu, quam iræ dignas æstimo. Certo namque persuasus sum, hujus furfuris medicasterculos satis jam poenarum luere si proximi collegæque despicatione, extenuatione, aliquam pescari autoritatem, existimationem debeant, & postea per idonei remedii neglectum, ægros curæ suæ commissos extremo periculo exponant suæque ita conscientiæ maculam imprimant & forte post exiguum temporis intervallum, sub- & obreptitie captam nominis celebritatem, non aliter ac ipsos ægrotos demum sepeliri cernant.

Ita & his satisfactum est. Quum autem medici non tantum sed & multæ hominum aliud
vitæ

vitæ & studiorum genus eligentium myriades terram colant, ad has etiam verba quædam favienda restant. Hi mortales iterum vel *Prudentes* sunt, vel ex eorum turba, qui, ut Comes d' AUNOY *Itinerar. Hispan.* loqui amat *Calvarea instructi ferrea, intellectu bovino.* Apud illos, prudens rationis & amoris plena captumque eorundem non superans, imo interdum Severitate quadam adspersa persuasio multum valet, ut aliquoties propria praxi expertus sum, quando curandi methodo vel ignota vel non ubique introducta, uti placuit. *Hos* nulla ratiocinatio movet, sed omnis in vapores abit, nihilque aliud loquendo lucramur, quam ut cito ex Herculis manu clavam extorqueamus, quam tam obstinati cerebelli homuncionibus præjudicium excutiamus, duriores fiunt rationum multitudine & pondere, non aliter ac incus mallei pulsu. Eis tantum argumentis flexuntur, quæ manu palpari aut sensibus percipi possunt, quare necessum est, ut experimenta naribus eorundem admoveantur, quo crassis exemplis veritatem subolfaciant, quam emunctioris nasi alias jam e longinquò sentiunt. Licet quidem videri posset, quod obstinate nasutolorum causa, omni parcendum labori sit, eosque pingui suo genio abundare sinendos, donec ut ordinario stolidi proprio damno sapere discerent, hæc tamen sententia Ethices, Jurisque naturalis regulis, Christianismi principiis

cipiis repugnat, qua de re in horum gratiam quædam adhuc adsuam.

Vocabar olim ad *Puellam*, octo vel novem annos agentem, non quidem Reichenbachii sed alibi. Inveniebam ægram extraordinariorum calore laborantem, ita ut arteriarum *pulsus* fibrēm extremum vehementia gradum consequutam proderet. Erat maxime *inquieta*, & levioribus tentabatur *deliriis*, facies rubicundissima, & tumida. Oculi continuo plorabant lachrymas, omnesque *tubuli* sanguine infarcti, collo præfertim, propter enormiorem Voluminis sanguinis expansionem atque orgasmum cuncti quasi pulsare videbantur. De ingenti præterea *Cephalalgia*, *Vertigine*, doloribus dorſi laciniantibus, conquesta manus, pedesque multoties & subito retrahebat. Urinæ parum excrenebat & quidem flammei coloris. Tactu memum *extremus cutis habitus* exploratus, pumice ficcior erat. Primum se ægrotare sentiens *nausea* quidem vexata est, parum ramen vel nihil aliquius momenti vomitu rejicit. Hæc phænomena simul sumta, Variolæ insuper eo tempore epidemice grassantes, *morbum* facile, ejusque etiam *periculum* divinare sinebant. Mœstis igitur parentibus dixi quod res erat, heic scilicet *Variolas* imminentia, me autem funestum eventum non injuste metuere. *Hamorrhagia* narium enim, inquietabam; alias puellæ non inconsueta, heic *opportuno tempore* non speranda, aut quod adhuc

huc adpareat, timendum est, ne omnem exce-
dat mensuram, ac vix quam cum ipsa vita fi-
niatur. Si autem ægra filicidium tale sanguineum
plane non experitur, certo certius creden-
dum quod instantes convulsiones tristissimum
fabulæ finem imponerent, & nihil aliud sint
quam futuræ suffocationis aut Apoplexiæ præ-
cursores. Non parum profecto inexpecta-
tum prognosticum parentes perterriti, qui me
lachrimantibus oculis precabantur, ut id, quod
in artis esset potestate adhiberem, variolasque,
tam cito quam possem, expellerem, atque ita
venentum, ut amabant loqui, a corde depel-
lerem. Hæc quidem mearum esse partium at-
que finem, respondebam, secundum eorum
vero sententiam & votum rem sic fieri non pos-
se, multum tamen adhuc superesse spei, modo
confilia mea sequi non renuerent. Facile cre-
des, AMICE, quod lati cuncta promiserint.
His præmissis morbum, ejusque naturam, ut
fere semper soleo, quantum licuit, ipsis in-
terpretatus sum, atque monstravi, quod præ-
sentibus symptomatis, & tam *enormi* sanguini-
nis calore & effervescentia *Variole* efflorescere
plane non possent, omnia remedia in cassum ad-
hiberentur, præcipue sic dicta *expellentia*, qui
nil aliud efficarent, quam filiolæ mortem cau-
sarent, me itaque, pergebam, nullum aliud
præsidium scire, in quod rebus ita constitutis
certam aliquam spem ponere possem, quam
VENÆSECTIONEM. Patrem argumenta
mea

mea prolixe recensita movebant, ut sententiæ
meæ statim subscriberet, & Chirurgum accer-
fere juberet, mater vero propositum remedium
non aliter ac mortem prædictam abhorrebat, &
exinde me anxie rogabat, ut filiæ alio modo
opem præstarem. Hæc facta sunt die tertio
horis antemeridianis. Repetii quidem cun-
cta, quæ potui argumenta, ut eandem persua-
derem, sed frustra, quare ipsi, vultu ad frigi-
dam quandam severitatem composito, dixi, me
quidem velle inflexibilem ejus mentem sequi,
sed non diutius quam per sex horas. Si hoc
spatio medicamentis nil proficerem, aut mihi
esse obediendum, si servari deberet puella, aut
ipsi deinde competere rationem coram Deo red-
dendam, de morte filiolæ certissime expecta-
tura. Largiter itaque patienti *nitrata* cum tem-
perantibus mixta dedi, singulis horis sumen-
da, sed sine ullo usu, aut commodo, nihil
enim aliud quam pretiosissimi temporis jactu-
ram efficiebant, ægra de momento in momen-
tum in pejus ruente, & post meridiem conti-
nuo jam delirante. His visis, ad argumenta
persuasoria, quibus patris superveniens auto-
ritas, & ad oculi nutum augmenta capiens pe-
riculum, novum pondus addebant, altera vice
perventum eisque effectum est, ut venæsectio
puellæ in brachio administraretur, satisque no-
tabilis cruoris copia educeretur, me monente,
quod si fine intento brevi temporis spatio, &
quidem ante medium noctem non potirer, fas-
cias

cias iterum solvere, ut vena adhuc semel sanguinis portionem stillaret, aut altero brachio novam incisionem facere mecum constituissem. Sed indicata repetitio non erat necessaria, nam paulo post ægra in aliam plane, magno parentum meoque gaudio mutata est; variolæ subsequentे die adparebant, & adhibitis paucissimis remediis se adeo bene gerebant, ut nemo fortassis, imo nec ipsi fere parentes, vix crederent, viginti quatuor horarum spatum tantum posse præstare intervallum, inter corpus agonizans, & omnis fere periculi expers. Eadem curandi methodo in alio puero adhuc juniori, optimo cum successu usus sum, aliudque mihi notum est tentamen Nobilis cuiusdam Viri, præcipuas Europæ regiones olim peragrat, qui proprio consilio cuidam ex liberis suis febre variolacea laborare incipienti venam secare jussit, quippe quod, ut mihi curam deinde ad finem perducenti fassus est, variolantes pusiones in Gallia aliisque locis aliter tractare non vidisset, & exinde crederet, se nihil absurdum, in medici absentia propter loci distantiam non tam cito accersiti, commisisse. Facile divinabis, AMICE, me laudabile ejusmodi factum dignis non tantum encomiis de prædicasse, sed & plus saepius optasse, ut multis nobilioris & plebejæ conditionis hominibus exemplar imitationi non ineptum præberet. Ante tempus non adeo multum, puer decennis hic nono die variolis mortuus est, ante mittu

G

eruens

cruento tentatus, quem sphacelus sequebatur. (*) Medicus adiubitus eventum talem non expetasse, vel ex eo patet, quod publice fateri non erubuerit; *se genium hujus morbi perspectum non habere.* (Et wisse sich in diese Krankheit nicht zu finden) Si autem dicerem, hoc phænomenon non adeo peregrinum ipsi potuisse videri, modo antecedentia molimina hæmorrhagica in puerο vegeto, plethorico, adcuratius sub examen vocasset, & paululum a consueto curandi Schlendriano (ignosce Lector castam latitudinem amans methodo, volui scribere, triviali) recessisset & venæsectionis meminisset. Quando patiens meꝝ curæ commissus fuisset, profecto dictum præsidium proposuisset, certo persuasus, quod admisissent. Novi homines tenerrimumque eorundem ingnatos amorem nihil mehercle renuentem, quod in perchari filoli conservationem aliquid contulisset. Plura certe notabilia huc respicientia adferre potuisse, nisi studio calamum retraherem, quia constitutus hujus rei non sum judex, neque per crises felle infectas aliorum medicorum medendi methodum taxantes gloriolam venari laboreo, dum ejusmodi ambitio larga reprehensione digna levibus tantum & abjectis animis propria est. Hoc tamen neminem, ut existimo, male

(*) Nulli dubitamus Clariss. Epistolæ autorem, eundem, quem supra Obs. II. recensuimus, casum intendere.

male habere potest, si aliorum errores lapsusque in meam emendationem caute adhibeam, meque a defendenda veritate nullum personæ respectum deterrere sinam. Quum vero aliqui mores mei hac in parte displiceant, ad rationem eorum reddendam promptus ero atque paratus, quoties desideratur, ars enim nostra dictatorem ignorat, qui cum illo in vulgus noto:

Sic volo, sic jubeo, stat pro ratione voluntas.

me tamquam pueros Hannibal ante portas, terrire aut ut latebras quæram incitare valet.

Hæc, AMICE ÆSTUMATISSIME, Epistolæ, opinionis meæ de Venæctionis usu & necessitate in variolis defendendæ gratia, sufficient, quum TU, quæ vel convincendo præfræcte contradicendi studio inquinato homini abundant, egregio schediasmate collegeris. Ego tamen interea idem hoc remedium non ita suaderem, ac si ubique semper, & sine discrimine cœco quasi ausu & alex causa in usum vocari deberet, absit, facile namque damnum eodem inferri potest, si precipitanter, aut sinistre applicatur. Græci non sine mysteriosa quadam ratione Venena & Remedia uno verbo Φάγωνα vocarunt, quia unum in manibus imperiti aut prudentis Medicis naturam alterius haud raro induere solet. Idem de Venæctione in Variolis valet, quæ mortem inopportune adhibita tam facile infert,

G 2

ut

ut tristi exemplo, nisi omnis me fallit memoria,
MATRES de propria liberorumque felicitate
SOLLICITAE in aliqua pagellarum suarum, te-
stantur, quam arceret. Res hic omnino eo recidit,
ut judicio practico, rara ubique supellecili, ad-
curate pensentur circumstantiae. Verum est,
tele judicium non adeo facile adquiritur, præ-
sertim quum in acedemiis pecunia, præter col-
legium practicum in ullum vix aliud impenda-
tur, & ne in hoc quidem mens præsens fuerit.
Ampla experientia etiam præsenti casu utram-
que facit paginam, ea enim Medicum reddit in
omnibus tentaminibus securum (interdum et-
iam nimis audacem; exempla odiosa sunt) ut
ea de causa Veteranis collegis libentissime pri-
mum locum, atque ut decet prærogativam
tribuam, modo non ex istorum hara progredian-
tur, qui experientia pro confirmandis adamatis
præjudiciis abituntur, ejusque fiant participes
quod BOHNIVS de Offic. Med. Cap. II. profert:
*Attendimus, scribens, in experimentis, quæ hypothe-
si nostræ favent, hacque miramur, & deprædicamus;
negligimus aut fugitivo saltu oculo intuemur & qua-
si nescire cupimus, quæ ab eadem declinant. Et sic
etiam in successuum feliciorum ejusmodi azyrtarum
annotatione ac collectione nosmet fallimus, illos tan-
tum observando agros, qui sub nugis eorum recon-
valescent, haud solliciti de his, qui pristinam infir-
mitatem loco sperate sanitatis reportant, vel miseria-
ris conditionis ab ejusmodi impostoribus recedunt.*
Dura verba, sed quid ad me attinet, hæc a tam
magni

magni nominis medico, tam aperte scripta
esse.

Prout itaque laudabilis Tua intentio, AMICE, nil aliud sibi, quam Venæsectionis probe penitataꝝ necessitatem & usum in Variolacea febre defendere, & consequenter ex Medicorum non solum sed & vulgi animis hujus remedii aversionem eradicare proposuit. Ita mea etiam ulterius non progreditur. Multo minus opus meo TIBI est auxilio, in debellando tam alte radicato, tamque abominabili præjudicio, quam variolis Venæsecione, quum ipsem̄ fatis virium habeas, interea tamen, ægre non feras spero, si Tuos conatus imiter, latusque Tuum premens, arma quæ in mea sunt potestate simul adferam. Forte nos temerarios ad quidlibet audendum projectos, & per aliena pericula pericula facientes juvenes dicent, sed hanc telam axiomate quodam politico eludemus, quod ad consilia senes, eis vero in effectum deducendis vegetos juvenes requirit. Veterani, si non omnes plurimi tamen, prolixa experientia sapientes Medici, Vota adfirmita jam diu nobis exhibuerunt, ut adeo nihil restet, quam conclusi executio. Animositatem nostram nemo in dubium vocare audebit ultra, nec fabulam de muribus tintinnabulum felix adpendere volentibus, nobis in posterum recitare tentabit, quum publice monstraverimus, quam parum nos judicia judicum neque competen-

petentium neque ad hoc officium requisitorum morantur, id quod *ratio & experientia* postulant in actum deducere. Pergas, AMICE SUAVISSIME, pergas, inquam, dextro Cornu certamen continuare, ego sinistro quid mei muneris est, expediam. Primus congressus, me hercle, præjudiciorum cohortes non parum jam confudit quum imprimis antecedentes expeditiones aliquas adversariorum phalanges inter fortiores numeratas, ingenti clade adficerint, & per consequens metum incusserint, ut nunc victoriam promittant certam, amplam. Tempus forte veniet, quo futuris annis nobis licebit esse tam beatis, duras hostium cervici leges imponere, si præsertim loca quædam secundæ aciei & infidiis, adhuc securitatem præbentia, erunt capta. Verum absint ejusmodi auguria, ne me interrogent, anne forte Delphicum APOLLINEM consuluerim? aut in MERLINI vaticinante spelunca per noctem dormiverim? Satis est, quod sciam, TE neque ad inducias, neque pacem faciendam inclinare, quum utræque sint noxiæ, quam commode etiam offerantur: Quietè namque vel momentanea præjudiciis concessa, statim cristas & supercilium erigere incipiunt, suisque viatoribus rebellare intendunt, minantur, non aliter ac capitalis aut juratus hostis, qui sese sub frenis tenere non patitur, antequam aut plane sit deletus, aut nervi ita præcisi, ut ipsi præter nocendi voluntatem nihil restet.

Ut

Ut autem augustum tale propositum, feliciteter in aetum deducatur, & ad optatum finem perducatur, praeter vires necessarias etiam *sapientia, patientia & tempus* requiritur. Quia vero his omnibus a Summe Numine abunde instructus es, nullum mihi superest dubium, TE divinam benedictionem ubique sperare posse sociam, TIBIque ejus concursu nixo, adjuto, omnia in sui gloriam, Medicinæ incrementum, & plurimorum agrotantium solamen suscepta ex Voto cessura. Mihi vero sensibilior aut gravior eyenire non poterit lætitia, quam frequens occasio, ex animo sincero TIBI gratulandi, de longe elegantiori meo encomio dignis tentaminibus, TUque AMICE, permittas, me semper esse Tuum ad officia quælibet paratissimum. Vale, meque amare perge. Scribam Wratislavia quart. Cal. April.

An. clo lcc xxxvi.














INDEX.

INDEX.

| | | | |
|----------------|--------------|---|--------|
| Obſerv. | I. | Anni præterlapsi Wratislavia demor- tuorum index. | pag. 1 |
| | II. | Variolarum Wratislavia 1735. graſ- ſantium brevis Historia. | 6 |
| | III. | Mictus cruentatus in variolis letalis. | 15 |
| | IV. | Wratislaviæ constitutio physica. | 19 |
| | V. | D. Goth. Henr. Burgharti Reichen- bachii naturalis descriptio. | 26 |
| | VI. | Ejusd. Arenariæ Reichenbacenses. | 36 |
| | VII. | Ophthalmia Phlyctenibus stipata post ambustum. | 40 |
| | VIII. | D. Goth. Henr. Burgharti Lolii te- mulenti comedii Phœnomena. | 44 |
| | IX. | D. Benj. Ehrenf. Neugebaueri Do- lores Rheumatici, exactos paroxy- ſmos formantes, Ptyalismo soluti. | 53 |
| | X. | D. Christoph. Thim. Burgharti Mon- strum pro hermaphrodito false ha- bitum. | 58 |
| | | Mantissa D. Goth. Henr. Burgharti Epistola ad D. Balthas. Lud. Tralles de utilitate & ne- cessitate Venæflectionis in Variolis. | 64 |

f. 5. p. 103. off. 3.
p. 103. off. 3.
p. 95. off. 3.
p. 103. off. 3.
p. 103. off. 1.
p. 128. f. 1.
p. 110. f. 1. off. 2.
p. 162. f. 11.





nostri solaris systemate, uno verbo, planetae, in stellam fixam, tangentes, & propter itae suae, siue illa circu- siue parabolica fit, per nostrum sistema adueniam extendentes & sic in venientes, moxque li, sub quo cernuntur barbatos, vel caudatos deesse ipsi videntur anim eandem haud plane tentia, modo ex obser- t, Cometam supra Sa-

COLION.

xpliando Cometarum omenis maximam par- tiam hypothesin adoptauod de mutatione cor- in Cometam, & destruer Cometam dicit, non in auenerit. Curiosum plementum, quod *Sinops. Cometic.* habet, tentiae robur aliquod Nam Cometarum dos, vbi scilicet eorum orbitae telluris inter- secat,